POLONIA DEFENSA

CONTRA

IOAN. BARCLAIUM,

Ubi, occasione ista, de Regno Genteque Polona multa narrantur, hactenus litteris non tradita.

DANTISCI,
Sumptibus GEORGII FÖRSTERI, S.R.M. Bibliopolæ.
ANNO MDCXLVIII.
Cum Privilegio S. R. M. Poloniæ & Sueciæ.

PRÆFATIO.

INdignanti mihi ſæpius, tam contumelioſe deſcriptam, aut traductam potius gentem noſtram à Ioanne Barclaio, in libro, cui nomen ICON ANIMORUM; Deinde vero accuſanti incuriam non vindicantium hucuſque patriam calumnia tanta atque impoſtura: Repoſuere quidam, ut præſtarem ipſe, quæ ab aliis requirerem, ſubiremque eum laborem, quem honori & gloriæ gentis

nostræ tam necessario putarem impendendum. Detrectavi aliquoties operam, eo quod serum nimis videretur, pridem scripta nunc demum refellere; sed contra institere: librum quemcunque novum semper esse primum legentibus: neque negligentiam imitandam eorum, qui non responderunt recens evulgato: Nec differri debere amplius responsum: cum & silentium non rejectæ hucusque calumniæ potius in argumentum agnitionis, quam spretæ malignitatis trahatur; Et auctor, nobis tam iniquus, alli-

alliciat ad lectionem multos, lenocinio styli, non eruditi certe aut virilis, sed tamen vana specie atque copia, judicio quorundam amœni, aut potius luxuriantis. Nempe, postquam à verbis & imitatione antiquorum penitus abstinendum sibi esse duxit, adeo à veteri, id est, vera & propria locutione abiit, ut pigmentis omnibus consumptis, fucum tantum objecerit imperitis, & ignaris veræ eloquentiæ censoribus. Subeo igitur his de causis, non illam hæresi infamem, sed innoxiam hanc alteram εἰκονομαχίαν, osten-

damque facile , quæ de nobis dixit , falſa & commentitia ut plurimum eſſe, & aut imperite ac temere, aut maligne ac contemptim ſcripta. Verba autem ejus uno conſpectu præmittam , mox partitim omnia expendenda.

IOANNES BARCLAIVS
IN
ICONE ANIMORVM
Capite Octavo.

HVngariæ à ſeptentrione Polonia eſt, inde ad Oceanum procedens Ruſſiæque contermina. Tot ſpatiis diffuſa regio pæne nullibi in montes aſſurgit : & à planitie factum nomen , quam Scythico verbo Pole appellant. Campi in immenſum patent, quos nix altiſſima hyeme obruit : hac diſcuſſa ſegetes creſcunt, non in indigenarum tantum uſus , ſed & mari delatæ , per multa Baltici littoris ſpacia, ſterilibus fundis annisve opem ferunt.

runt. sævæ hyemes terram fluminaque advinciunt, quia violentia Aquilonis, nullis montibus repercussa, liberum ut in pelago cælum rapit: accedit septentrionis vicinia, & ibi emoriens solis vis, præsertim cum recessit ad brumam. Natura subsidium admovit profundissimas sylvas, quæ & in ignem datæ frigus expellant, & in suis præterea umbris animalia alant, quorum pelles fulciendis vestibus preciosissimæ habentur. Hac duplici ope utuntur in hyemem. Alio quoque commodo suis sylvis obnoxii. Quippe alicubi immensa examina apum fervent. Agrestia illa sunt, nec cujusquam cura aut pastum aut tecta accipiunt. Vacuis quercuum ramis aut truncis inhærent; ibi cereas

reas domos extruunt, & optimo melle implent. Hinc ingens facilisque in regionem proventus. Ceram Mercatores devehunt; ipsi melle conficiunt potum, quem in deliciis habent. Flumina paludesque, plus justo quasdam provincias obruunt, adeo ut æstate vix possint adiri. concretis per hyemem undis curricula habent, quæ lubrica glacies facile evolvit: ita per regionem feruntur: & hoc est commercii tempus quo externi ad eos commeant; ceramque & pelles mercantur, ac si quid præterea sub tam rigido cœlo in precium nascitur. Plerumque lapides extruendis domibus desunt. Lignis ad parietes utuntur, stramentoque operiunt, præterquam in celebribus oppidis arcibusq; Optimatum,

matum, quantum illa regio ferre potest excultis. Polonis ut plurimum dura vita, cœlo aspero, nec populi moribus factis ad nostri seculi venustatem, & hinc aliquando sæviora ingenia. Diversoria peregrinos excipiunt, longe à nostrarum terrarum ratione. Deducuntur in sedem quæ inanis, & plerumque perfossis ad accipiendum lumen parietibus, ventis quoque & hyemi patet, nulli quibus decumbant lecti, non erecta ad epulas mensa, longo ac multiplici clavo paries fixus est. illic hospites sarcinas quas habent in ordinem appendunt. multo deinde stramento sternitur solum; & hoc in illis diversoriis pro toro est. Itaque per illam regionem processuri ad iter ita se comparant,

quasi domum circumducant. Cibos & cætera in alimentum ferunt, lectulos in rhedis collocant, ut nudis illis tectis excepti, sua supellectile, & famem & frigora arceant. Gens est ad ferociam, & licentiam nata, quam vocant libertatem, adeo ut infandæ barbariei legem multis seculis ibi solemnem, vix nunc demum omiserint; Ea scilicet caverant; ut qui hominem peremisset, solveretur metu judiciorum, si in jacentis cadaver projecisset pauculos nummos, quorum numerus eadem lege destinabatur. Nec tam vile fecissent humanæ vitæ precium, nisi sui genii impetu pro levi facinore haberent, humanum cruorem prodigere. Ipsum nomen non tantum servitutis, sed & justi ac le-

gitimi regni oderunt. Rex ad patrias leges vi & armis adigitur. Nobilitas triſtibus prærogativis ſe ipſa donavit, quibus poſſit ſibi invicem & impune nocere, quippe Principi non ſatis juris eſt, ut, quod peccaverint, ipſe vindicet. Maxime ſibi credunt; nec major libido eſt libertatis in moribus, vitaque incivili, quam in religionum & cæleſtium rerum ſenſu; de quibus, ut placet, ſine metu, & ſentire volunt, & loqui: ſcilicet immani fiducia ſui, quibus ſapere alieno ductu pudet. Hinc in diverſa hodie ſciſſæ mentes, errorumque omnium lues, quicunque antiqua ſecula polluerunt. Quiſque in ſuæ familiæ laudem intentus eſt; præſertim ſi in exteros incidit, & expertes ſuarum fortunarum.

rum. Sævire quam decipere promptiores, & ipſi magis fraudibus quam vi patent.

Hæc de nobis Barclaius. Et pauca quidem ad iconem animorum, multa vero nimis ad calumniam & opprobrium gentis noſtræ. Singula ut penſitemus, ait in primis:

Hungariæ à ſeptentrione Polonia eſt, inde ad Oceanum procedens Ruſſiæque contermina.

Iejuna profecto eſt nimis atque imperita hæc deſcriptio Poloniæ, quo ad ſitum, amplitudinem, limiteſque ejus. Quam tamen leviter notaſſe ſufficiat. Ne enim rigidus exactor videar, veniam dandam arbitror auctori, cum toto hoc ſcripto Geographicam diligentiam non curaſſe videatur, animos potius populorum quam regionum ſitum deſcribens. At ſciat hoc tamen lector, quicquid à Baltico littore, & Germa-

Germaniæ limitibus, tum Carpato monte, ac Tyra fluvio, inde vero campis Ponto Euxino adſitis, ac demum ultra Boriſthenem amnem Moſcoviæ termino, ingenti prorſus terræ mariſque ambitu includitur, id inquam, totum Regni Poloniæ nomine cenſeri. Neque recenſebo ſingillatim provincias quæ & quando in hoc corpus communis jam populi coaluêre, ſeparatum volumen requirit hic labor, præſtandus aliquando Patriæ, quando hactenus pauca de nobis, eaque multis erroribus referta Geographi prodidere.

Tot ſpatiis diffuſa regio pæne nullibi in montes aſſurgit.

Non eſt montoſa Polonia niſi qua Hungariæ aut Volochiæ adjacet, & paucis præterea locis. Tatri autem Carpatei Bieſciadicique montes longo certe tractu protenduntur, altitudine Alpibus, aut Pyrenæis non impares.

Et

Et à planitie factum nomen, quod Scythico verbo Pole appellant.

Derivatio & originatio hæc nominis noſtri, quanquam multorum conſenſu recepta, merito tamen ſuſpecta eſt. Quis enim dixerit populum ex tam levi cauſa nomen ſumpſiſſe, ſibique ultro indidiſſe? Nam non ab externis impoſitum hoc ipſo fatentur, dum illud à vernaculo nobis verbo deducunt. Vnde probabilior illa mihi videtur, quam Cromerus à Lecho derivat, & Polakos ait dici, quaſi poſteros Lechi. Cum omnibus fere nationibus commune ſit, ab inſigni aliquo & celebri duce nomen ducere: Aut quam opinio quorundam aſſignat, dum à Latinæ Eccleſiæ communione nos Lachos vocari à Ruſſis, qui Græcæ adhæſerunt, etiamnum conſtet, unde po Lacku ſignificat, ſecundum latinum ritum. Et hinc appareret novitium hoc nomen genti, & una cum Chriſtiana religione cæptum, cujus certe antiquiores ſcriptores nuſquam meminere. Sed cur

Scythi-

Scythico verbo Pole nos vocari dicat Barclaius, cur non potius Slavonico? & unde didicerit, Scythicum istud esse verbum? Ego certe nescio. Profecto ariolatur, &, *jam inde à principio probus*, innuit, nos Scytharum gentem esse. Atqui ut hunc primum errorem ejus ostendam, non pigebit pauca adferre de gentis nostræ origine. Bastranas, Peucinos, Venedos eas terras incoluisse, ubi nunc Polonia utraque & Russiæ nigræ pars est, ex Strabone, Plinio, Tacito discimus. Et Philippus Cluverius, exactus sane Geographus, apertis argumentis deducit Bastranorum, Peucinorumque terminos fuisse istos, *Vistulam, Aprum amnem*, Vulgo Wieprz, *à fonte ejus linea ducta ad Tyram* (seu Dniestr) *tum Pontum Euxinum. Istrum* (id est Danubium) *ad Hierassi* (id est Druthi) *confluentem, & hinc Hierassum, tum Carpathum ad fontem Vistulæ, usque ad Oppidum Osvvzecim.* Hæc Cluverius. Venedi porro fuerunt, ubi nunc major Polonia & Prussia est, ad Ostium Vistulæ & mare protensi, unde Venedicus sinus. Satagit quidem idem

Plautus pseud.

Lib. 3. Cap. 43. Germaniæ antiquæ.

idem Cluverius ostendere, Bastranas Germanos fuisse, sed frustra. Firmiter enim assero, quidquid à mari Adriatico, Græciæ Veteris, id est, Macedoniæ terminis, tum Ægei maris littore, Propontide, ponto Euxino, Caucaso monte, Caspio mari, inde ad Obium amnem linea ducta; Tum vero mari & Albi fluvio, qui veteris Germaniæ terminus fuit, ac denique Danubii parte, gentium nationumque includitur, unius olim fuisse originis. Causas assertionis meæ habeo istas. Primo Livius Bastranas à Philippo Macedonum Rege accitos ad Italiam populandam dicit, facilemque illis ad mare Adriaticum accessum per Scordiscos, eam ob causam ponit, *quia nec aut lingua aut moribus abhorrerent*. Porro Scordiscorum situs est, inter Danubium & Savum versus Illyricum protensus. Deinde eosdem Bastranas Thracibus permistos dicit Strabo libro septimo, & Pomponius Mela ab Illyrico cæptam Oram ad Istrum Pontumque *ab una gente*, dicit, *habitari, sed aliis aliisque prædita & nominibus & moribus*. Et Sextus Rufus, qui

Lib. 40.

qui vixit tempore Valentiniani, totum fere istum tractum adscribit Illyrico, cujus septemdecem provincias ponit. Et denique omnes istos populos Græciæ finibus & tum Istro ac Ponto adsitos, nempe Dacos, Mæsos, Thracas, Pannonas, Getas, tum vero Sarmatas velut unius nationis historici omnes & Geographi veteres recensent, & Scythici generis esse, falso quidem dicunt, ut infra patebit, sed tamen hoc ipso testantur gentis ejusdem fuisse. Tertio urbium nomina quæ à veteribus illo in tractu ponuntur idem ostendunt. In itinerario Antonini Augusti invenio Thraciæ urbem Orudysza, qua terminatione, puto non posse inveniri nomen, in alia lingua, præterquam Slavonica. Et S. cum Z. conjunctim efferre, aliis populis insuetum, frequentissimum Slavis, & præsertim Polonis. Iam apud Ptolomeum in Mæsia urbs Dausdava, in Dacia Zirdava, quali terminatione ab eodem prope Tyram ponuntur Carsidava & Petridava. Et ad Hierassum fluvium (id est Pruthum) Zargidava Tamsidava.

In Breviario Rerum Rom.

dava. Et in tabula Peutingeriana ad Montes Bastranicos, id est Carpatum, Zagadava & Calidava. Cujus desinentiæ & nunc in Poloniæ provinciis multa oppida inveniuntur. In Dalmatia etiam ejusdem Peutingerianæ tabulæ lego oppidum Bierzumno & aliud Pardua, quæ Slavonica esse apertum. Alia porro vocabula non mirum est Latina aut Græca videri, etenim pronuntiatione primum ab illis vitiata, postmodum scripto in terminationes Latinas vel Græcas traducta: Aut novis etiam oppidis nova imposita, quæ per colonias à Romanis deductas, plurima fuisse condita certum est. Possem & quartum argumentum à moribus petere, illosque gentibus istis communes referre, ut equorum & arcus peculiarem & proprium illis usum. Sed immorari diutius tædet. & satis me puto firmis argumentis omnium istorum populorum originem communem aut cognationem ostendisse. Id est, Illyriorum, Tracum, Bastranarum, Getarum, Sarmatarumque. De reliquis vero septentrionem versus genti-

bus, id eſt Ruſſis, aut Rifacibus, nullum eſt dubium. Nunc vero ut eoſdem populos à Scythis diverſos oſtendam, ſufficere puto unicum, ſed validiſſimum certe, & quod totam hanc cauſam continet atque conficit, idiomatis ac ſermonis argumentum. Nulla enim re melius gentes aut ejuſdem eſſe originis aut diverſæ agnoſcuntur, quam lingua, quæ vere vinculum eſt nationum, & certiſſima generis ejuſdem nota ac teſſera: præſertim ſi antiqua ſit, & nulla mixtione migrantium populorum corrupta. Talis autem eſt, quam nunc primigeniam maxima parte retinent gentes, eo quem poſui ambitu contentæ. Præcipue autem Ruſſia & Moſcovia. Nam & nulli Hiſtorici eo novos populos narrant demigraſſe. Et non eſt probabile, tam incultas, tamque deſertas regiones ab adventitia aliqua gente, pulſis veteribus & primis colonis, occupatas. Quis enim credat aut putet loca vix quindecim gradibus à polo arctico diſſita, nuper vero detecta navigationibus Hollandicis (quarum Diarium nauti-

nauticum Amſtelrodami Anno MDXCVIII editum, vidi ipſe & legi) à longinqua & peregrina aliqua natione petita fuiſſe? Certe nihil eam potuit allicere, & ſcimus ſemper cultas ac uberes provincias ab incurſionibus egentium & inopum populorum, impetitas, non vero è contra. Vnde certum eſt, gentes quæ ibi ſunt, aborigines, ut ita dicam, eſſe, & à prima terræ illius occupatione, continua ſucceſſione propagatas; Porro, illæ lingua Slavonica utuntur, quæ, antiquiſſima & congenita illis, cum nihil habeat cum Scythis aut Tartaris, quanquam ſibi conterminis, nec cum Turcis, Perſis, Arabibus commune (qui omnes nunc ſunt veri Scythæ, ejuſdem fere ſermonis commercio conjuncti) nullaque prorſus veſtigia verborum ejuſdem notionis; Profecto ſat aperte oſtendit, diverſæ nos omnino gentis ab illis eſſe, cum plane diverſilingues ſimus; Neque movere quenquam debet veterum auctoritas, qui Sarmatiam cum Scythis confundunt; & paſſim omnes ſeptentrionis populos Scy-

thas nominant. Notum est enim quanta imperitia Geographiæ antiquis harum præsertim regionum fuerit, scimus quam falsa quam diversa tradant, misceantque. Porro quemadmodum nuperis navigationibus occidentem versus detectæ terræ in universum Indiæ nomine vocantur, partitim vero quædam, ad arbitrium inventorum, insignitæ sunt: Ita Græcos à conterminis Asiæ Scythis, omnes retro gentes septentrionem versus appellasse Scythas Strabo autor est lib. 1. quasdam vero non proprio ipsis & peculiari nomine, sed prout libuit, aut ab aliqua nota indigetasse probabile est. Ita enim perpetua Geographiæ fraude fit, ut externi imponant nomina populis, neque vera aut ipsis propria, ac vernacula inquirant. A Græcis vero Romani

Tacitus. *quoquomodo tradita pro compertis habuere.* Cum itaque apud veteres Geographos, nulla exacta inquisitio apparet, sed temeraria tantum & incuriosa assertio, nullis rationibus & argumentis fulta, ideo non curandum est, quid ipsi nugantur,

Et

——— Et quidquid Græcia mendax
Audet in Historia —

Cujusnam ergo (inquies) sumus originis, quæ gens, quæ natio? Dicam quid sentio. Omnem illum ambitum terræ quem supra definivi, & gentes illas, quas unius linguæ vinculo dixi contineri, universale & genericum quondam nomen habuisse puto, sed incuria scriptorum ignotum nobis. Nam quod Krantzius dicit, Vandalorum nomen commune his populis fuisse, id certe minime comprobat, neque mihi persuadet, & apertissimis à Cromero nostro refellitur argumentis. Certe dum ego omnia expendo, video omnem istam gentem quadrifariam dividendam. Nempe in Slavones, Getas, Sarmatas, ac Russos. Slavonicum nomen illustre quamvis ac gloriosum (gloria enim & fama nobis Slawa est) non tamen vetustioribus scriptoribus ante cognitum, quam cum in Romanas provincias irruptionibus cæperunt inclarescere. Certe primi ejus meminere Iustinianeæ Historiæ scriptores, Procopius nempe Cæsariensis,

&

& Iornandes Alanus. Nam conſtat teſtimonio & illorum, & Gregorii primi ad Epiſcopos Illyrici ſcribentis, Slavos quingenteſimo quinquageſimo fere poſt Chriſtum Anno, Illyricum, Thraciam, Mæſiam, Dalmatiamque invaſiſſe, & ibi ſedes poſuiſſe gentis, quæ nunc Slavonica ibidem eſt & cognomine & ſermone. Quamvis enim illorum populorum antiquitus communem eſſe dixi originem, tamen ita in mores linguamque Romanam, primum coloniarum deductione, poſtea vero communione civitatis, tranſiverant, ut vix ulla veſtigia priſcæ gentis retinuerint. Itaque cultura & opulentia, facile invitarunt, quamvis conſanguineos olim populos, ad ſui vaſtationem & occupationem. Huic nomini præcipue accenſendi ſunt, præter illos qui in Romanas migrarunt provincias, avitis ſedibus manentes Poloni. Tum vero qui in Germaniam tranſgreſſi, Moravi, Bohemi, Sileſii, Pomerani, quos omnes Slavones eſſe, multi multis argumentis jam comprobavere. Et vel antiquiſſima his populis

pulis cognomina teſtantur, Venceſlai, Vladiſlai, Staniſlai, Boleſlai. Vrbium quoque appellationes, ut Vratiſlavia, Iaroſlavia, Preſlavia, Braſlavia, aliaque complura ejuſdem terminationis oppida. Getæ ſequuntur, ſeu Thraces, quibus vetus Pannonia, Mæſia, Dacia, & totus Illyrici tractus adſcribendus.

Quæque aliæ gentes ubi frigore conſtitit Iſter Ovid. de Ponto. Lib. 1. Eleg. 3.
Dura meant celeri terga per amnis equo.

Has vero ut dixi nationes multum immutavit Romana inprimis dominatio, tum vero irruptio Hunnorum Scythicæ gentis, & denique Turcici imperii variæ coloniæ. Getarum vicina gens Tertia, Sarmatæ, quorum veri limites fuerunt iſti, (quanquam hæc confundant Geographi) ab Occidente Boriſthenes, nunc Dniepr. A meridie Pontus Euxinus, Caucaſus mons & mare Caſpium, tum vero ab ortu Rha fluvius, qui nunc Volga. Idemque ad Septentrionem deflectens fere totam Sarmatiam ambiebat, & à Ruſſia ſecernebat. Quæ quarta & ultima eſt gentis portio. Cujus incolas

veteres Geographi Riphaces & Riphæos & Roxolanos vocant ; Eaque continetur alba Russia, & Ducis Moscoviæ ditiones, & Septentrionales illæ usque ad Novam Zemlam regiones. Hæc igitur gens est quadrifariam divisa, quam si vocaveris à principali nomine Slavonicam, non errabis. Illa autem nihil cum Scythis habet commune, quos ultra Europæ terminos, ad Asiaticos nempe populos relegamus, certis ac apertis limitibus ab illis divisi, lingua omnino dissimiles, moribus, & (quod maxime notandum) religione plane dispares & adversi. Machometanam enim Turcæ, Tartari, Saraceni, Parthi seu Persæ, Arabes aliique cognati sibi populi avide ac unanimiter hauserunt, Slavones vero aut Russi, quamvis contermini Scythiæ, detestantur: constantissime post abolitum paganismum Christianæ (quanquam non sine Schismate) adhærentes. Addo vero, nullam Linguam latius patere Slavonica, quod facile agnoscet, qui ab Adriatico mari ad novam Zemblam (quod nomen Slavonicum

cum plane est, & novam terram denotat) qui, inquam, tractum hunc maximum mensus fuerit. Plura nunc non addo, & hanc curam sepono, exacte magis & uberius aliquando impendendam. Subdit Barclaius.

Campi in immensum patent, quos nix altissima hyeme obruit.

Omnia hic & multo magis infra ad conciliandum vituperium aucta invenies. Altissimam nivem Moscovia habet, nos sæpe adeo illa non obruimur, ut adversus frigoris vim, tegi campos & sationes tutari exoptemus. Et profecto quoties nobis nivalis est hyems, Germania illam non minus experitur. Quinimo nihil frequentius apud Historicos veteres legas, quam nivem Gallicam, dici velut illis propriam, ita ut in proverbium venerit, & Petronius παροιμιακῶς dicat *frigidior es nive Gallica.* Et Florus, *Gallos habere quiddam simile cum suis nivibus,* dicit. *quippe primos impetus eorum acres, sed qui mox, cum pugna caluere, velut nives sole liquantur.* *Lib.* 11. *cap.* 4.

Hac discussa segetes crescunt, non in indigenarum tantum usus, sed & mari delatæ, per multa Balthici maris spatia, sterilibus fundis annisve opem ferunt.

Decuitne vero almam & fecundam Cererem nostram, illam tot terrarum, tot populorum altricem, tam exili ac festina, immo vero, tam infida mentione præterire, & levi nimis prætervolare penna? Quam pauca hæc, quam tenuia, quæ de illa memorat? Dicit per littora tantum Balthica, idque sterilibus fundis & annis illam opitulari. Atqui culta illa tot urbibus, tot oppidis Batavia, quæ Balthico certe non alluitur mari, nostro potissimum pane victitat. Atqui velut olim Sicilia, ac postmodum Ægyptus populo Romano annonam alimentaque præbebat, ita nos horreum non Bataviæ tantum, sed multarum sumus nationum. Cum certum sit in Hispaniam quoque & Italiam deferri messes nostras,

& frumentatione ista magnam Europæ partem ali ac sustentari. Et ut scias, qua copia & quanta ubertate; audi quæ hac in re comperta habeo. Constat mihi, hyeme decedente, cum nempe liquatis nivibus auctus Vistula faciliorem navigationem præstat, uno appulsu quinque millia navium Dantiscum secundo flumine aliquando venisse. Et, ut fatear, raro vernum defluxum tam copiosum esse;sed cum aliquoties, prout amnis intumuit, navigatio repetatur, non quidem semper pari navium numero, sed tamen magno satis: puto me dicturum minus, quam res sit, si quatuor millia navium ponam, computando insimul rates seu trabes connexas, quibus etiam plurimum utimur. Porro navis oneraria, quales Vistula devehit, cum maxima est, capit medimnos Romanos veteres (hac enim utar mensura) bis mille ducentos, cum minima mille. Et, ut quam proxime omnes exæquemus, facile quælibet earum censeri poterit, mille quingentorum medimnorum; Quæ summa excrescit in sex

milliones medimnorum. Cum vero Medimnus fere (ut inter ſummum infimumque pretium ponam, & triticum cum ſiligine alioque grano exæquem) veneat medio nummo Imperiali, quem talerum vocamus; Proventus anni unius, uno ex portu, erunt tres milliones talerorum. Iam vero ſciendum eſt, Dantiſcum non devehi frumenta niſi è vicinis & adſitis Viſtulæ regionibus, aut ab accolis aliorum fluminum quæ eundem Viſtulam intrant. Ita ut vix tertiæ partis Poloniæ ſit iſte proventus, cum in Sileſiam quoque ac Pomeraniam conterminam, antequam utraque provincia eſſet bello tam exhauſta ac deſerta, plurimum frugum inferretur: Neque ad rationes iſtas, niſi exigua pars Ruſſiæ pertinet. Quæ miræ & inſuetæ omnino fertilitatis, adeoque alendis & augendis ſeminibus idonea, ut non modo centeſimum fructum (quod de Ægypto Plinius) reddat, ſed quod admirandum plane eſt, una ſatione, binam meſſem (ex deciduis nempe ſpicis alteram) quandoque adferat.

Nec

Nec cultura placet longior annua. Horat. lib. 3. Ode 24.

Nec opus eſt, ut alter Poëta inquit, *Pingui ſimo ſaturare ſolum.* Sed ſubactum utcunque arvum, injectamque ſementem, præciſo arboris ramo occant, & uberrimum inde referunt proventum. Cum autem tam ferax ac fecunda regio, affluentiam annonæ, nec ipſa depaſcere, nec alio deferre queat, fit, ut vilitas ejus plerumque ſit maxima. Iam Litvania, quæ Magni Ducatus nomine audit, ferax & ipſa, frumenta partim Chronone, quem Niemen Vulgo vocant, partim Duna (qui Ptolomeo eſt Ruben) fluminibus devehit; idque ea copia, ut ex portu Pilavienſi, certa fide cognitum habeam, quindecem millia Laſtorum, exteris negotiatoribus vendita. Laſt vero continet medimnos fere quinquaginta. Et ex portu Memelenſi ſementis lini viginti tria millia tinarum ſeu doliorum (nam id genus ibi eſt menſuræ, continens fere medimnos duos & ſemiſſem.) Hæc ergo paucis deſcripta ubertas, clare ſatis oſtendit, quantum à vero abiverit auctor, dum illam tantum

tum littori Balthico opem ferre dicit. Iam autem, quæ de hyemis atrocitate subjungit, expendamus.

Sævæ hyemes terram fluminaque advinciunt, quia violentia Aquilonis, nullis montibus repercussa, liberum ut in pelago cælum rapit: accedit septentrionis vicinia, & ibi emoriens Solis vis, præsertim cum recessit ad brumam.

Equidem clima nostrum cum Italiæ situ non compono, & hyemem non nego multo nobis acriorem esse. Sed ut apud nos sit sævitia ejus maxima, id vero nego, & Germaniæ pleræque non minorem dico, aliisque populis æque ad Septentrionem porrectis. Superat vero frigore Suecia & Moscovia multo magis borealis. Sed verba Barclaii videamus. In primis dicit *terram fluminaque hyeme vinciri.* Quid autem istud miri aut magni est. nonne hoc plærisque Euro-

Europæ populis commune? Certe præcipuos ejus celeberrimosque amnes, Rhenum & Danubium, *per hyemem sic gelascere* dicit Herodianus ex versione Angeli Politiani, *ut camporum in morem perequitentur. Esse autem adeo solidam firmamque glaciem, ut non pedibus modo ungulisque hominum & equorum subsistat; sed qui hausturi aquam sunt, non tam urnas & vasa secum adferant, quam secures & dolabras, ut excisam aquam, quasi lapidem sine ullo vase asportent.* Certe Plinius Panegiristes, eundem Danubium, dicit, *ripas gelu jungere, duratumque glacie ingentia tergo bella transportare.* Sed nempe acrior apud nos duas ob causas hyems, ob septentrionis viciniam, & camporum planitiem. Ista quam imperite dicantur, non mihi, sed omnibus credi volo Geographis, quorum consensu Poloniæ situs ponitur eodem cum parte Galliæ, & Belgio climate; ita ut Cracovia, Metropolis nostra, vix uno gradu latitudinis Lutetiam Parisiorum superet, ab Antverpia autem superetur; & Anglia, Hollandia, multo vero magis Scotia, ac Dania, ad gelidum acce-

Lib. 6.

accedunt axem nivalemque Arcton. Iam quo ad causam alteram Physiologia item non omnino constat. Nam & Belgium sub eadem cum Polonia plaga, ac parallelo, minime item montosum, neque à Borea (qui profecto è vicino mari violentior esse deberet) ullo obstaculo defensum esse. non tamen adeo ingentibus frigoribus algere scimus; Et non per totam Poloniam ubique inveniri (ut Lucretius loquitur) *æquor campi plani*, ego tibi affirmo. Cum minor Polonia, tota fere in montes assurgat, nec tamen dispari sit aëris temperie. Alia igitur causa aliquantum intensioris (fatendum enim est) apud nos frigoris deberet assignari. Ego certe, dum illa quæ de Rheno ac Danubio, testimonio veterum, dixi, dum quæ Tacitus de Germania prodidit: *Hyemem nempe potissimam anni partem occupare, terram segetes tantum ferre, fructuum vero autumnique, & bona, & nomen, ab incolis ignorari*, cum inquam hæc vetera, ei quæ nunc est omnium rerum, ac vini etiam, maximæ feracitati comparo; huc judicio inclino, ut cultura

tura

tura & crebra inhabitatione, non soli tantum, sed aëris etiam, putem naturam mutari. Cur enim frigidior olim, quam nunc, Germania esset? Certe nihil adferri probabiliter potest, nisi quod antea deserta ac inculta, *nullas prorsus urbes* (ut idem Tacitus inquit) *aut vicos connexis ac cohærentibus ædificiis haberet*. neque agriculturam impense curaret. Nunc autem frequentia ac populosa oppida, tum crebra ædificia, & numerosi pagi, ac denique pinguis ubique ingesto fimo gleba, omnia ista, inquam, calidius exhalant, aëremque tepefaciunt: Ita ut non ob septentrionis viciniam, Solemque, ut Barclaius inquit, emorientem, neque tam ob camporum planitiem, sed potius ob frequentiam minorem oppidorum, frigidior aura potuit antea Poloniæ imputari, quæ nunc ubique culta & habitata, multum demit antiquæ frigorum sævitiæ. Ita ut ejusdem quamvis climatis regiones, ortum versus porrectas, longe aëris temperie superet: non alia sane, nisi majoris culturæ causa, cum longitudo terræ ad im-

 mi-

minuendam vim Solis nil poſſit conferre.

Natura ſubſidium admovit profundiſſimas ſylvas, quæ & in ignem datæ frigus expellant, & in ſuis præterea umbris animalia alant, quorum pelles fulciendis veſtibus precioſiſſimæ habentur. Hac duplici ope utuntur in hyemem.

Vt omnium rerum ad neceſſitatem vitæ humanæ affluentiam Polonia habet, ita & ſylvarum, quantum ſatis eſt. Adeo ut vivere poſſit.

Ligna ſuper foco Large reponens.

Attamen non tam obſita eſt arboribus ut ſpelæa habeat, aut celebrem illam Herciniam ſylvam, quam Cæſar novem dierum itinere latam, longam quadraginta, Mela vero etiam ſexaginta dicit. Apud nos non eſt quid ſimile, niſi forte in Lithvania ad confinia Moſcoviæ & extrema Ruſſia. In Polonia vero ipſa, ubicunque ager eſt frumenti

menti ferax, & ſationi aptus, exciſæ ſunt ſylvæ, & quidem ſæpe nimis. Ita ut egregius Poëta, & par omnino veteribus ſpiritu, ac erudita amænitate carminis Kochanovius, Satyrum inducat querentem, ſe pulſum propria ſede, nimio incolarum lucri & quæſtus ſtudio, dum pars ſylvarum ceſſit agriculturæ, pars in officinas ferrarias aut vitrarias abſumpta eſt. Iam vero pellibus utimur, ſed ab extrema Moſcovia magno pretio petitis; eſtque hic luxus inter maximos, qui Poloniam urgent. cum Zebellinis aut Martibus ſuffulta veſtis, cujus inter nobiles frequentiſſimus uſus eſt, conſtet aliquando prope duobus millibus nummûm, quos vulgo taleros vocamus. Et una pellis, quæ vix ſeſquipedali eſt magnitudine, ſi præſtans ſit, plus quinquaginta taleris veneat. Sed adnoto quæ ſequuntur.

Alio quoque commodo ſuis ſylvis obnoxii. Quippe alicubi immenſa apum examina fervent. Agreſtia

illa ſunt, nec cujuſquam cura aut paſtum aut tectum accipiunt. Vacuis quercuum ramis aut truncis inhærent; ibi cereas domos extruunt, & optimo melle implent. Hinc ingens facilisque in regionem proventus. Ceram Mercatores devehunt; ipſi melle conficiunt potum, quem in deliciis habent.

Narratio iſta de apibus erronea eſt, & multifariam falſa. Sciendum enim duplex genus apum in Polonia eſſe, ſylveſtre & domeſticum. Vtrumque autem (qui primus Barclaii error) non eſt abſque diligenti cura. non quidem tanta, quam requi-
Lib. 3. Cap. 16. rit Varro, cum, *Verno tempore*, inquit, *& æſtivo, fere ter in menſe mellarius inſpicere debet, fumigans leviter eas, & à ſpurcitiis purgans alveum, & vermiculos ejiciens. Præterea ut animadvertat, ne reguli plures exiſtant, inutiles enim ſiunt propter*
Lib. 9. *ſeditiones*; Multo vero minus ea, quam nimis

mis exacte præcipit Columella. Operoſum hoc eſſet, nec fructus inde penſaret laborem, ſufficit quod bina quotannis inſpectione curantur, Autumno nempe, cum detrahitur illis mel, & (ut ruſtico verbo utar) caſtrantur alvearia, cum contra frigoris vim muniuntur, cum denique alveare ipſum mundum redditur. Vere autem redeunte, par cura redit, dum quomodo hyemem perpeſſæ, inſpicitur, dum alveare iterum mundatur, dum novis examinibus parantur ſedes, exciſis ex profeſſo alveis (non, ut Barclaius inquit, fortuito vacuis quercuum ramis) nempe

Vt cum prima novi ducent examina reges
Vere ſuo, ludetque favis emiſſa juventus.

habeant quo colonias deducant novas. Iam vero domeſticæ majorem curam accipiunt, præſertim in Polonia ipſa. Nam in Ruſſia, ubi præcipue res apiaria viget, aliquantum incurioſius habentur. Sepitur nempe locus medio in campo collocandis alvearibus, multa ponuntur vacua, ut nova recipiant examina. Dum vero tempus legendi

gendi mellis venerit, quidquid eſt in alveo excutitur, paucis propagationi ac feturæ relictis. Ingentem vero proventum hinc eſſe, verum eſt. Scio quendam amplas in Ruſſia ditiones poſſidentem, à ſubditis decumæ annuæ accepiſſe mellis cados mille, cadus autem venit ſæpe decem aureis nummis. Sed ridiculum eſt, quod dicit Barclaius, paſtum illis non præberi. Homo acutus, hoc niſi addidiſſet, periculum erat, ne cibaria diurna dari illis putarentur. Dignus profecto ob hanc ἀκρίβειαν, qua naturam nobiliſſimorum inſectorum (aves vocat Varro, Ariſtoteles autem magis ſplendide πολιτικὰ ζῶα) ſcrutatus eſt, ut non cum Domitiano captaret mactaretque, ſed paſceret potius muſcas. Apparet certe vel hinc, quam accurate iſta inquiſivit. Legiſſet ſaltem, quæ poſt Ariſtotelem Plinius ſcripſit de celeberrimo hoc regno, an Republ. potius dicam, neſcio. Cum & ſine Rege eſſe non poſſint, *illoque amiſſo, pereat ac diſſolvatur civilis ſocietas*; & quod Rerumpubl. præcipuum fundamentum eſt, æqualitatis

accuratam diligentiam.

Civilia animalia

Plinius Lib. 11.

litatis

litatis ſint ſtudioſiſſimæ. Nam (ut Plinius inquit) *nuſquam ſeparatim veſcuntur, ne inæqualitas operis & cibi fiat.* Vnde puto mixtam eſſe formam, & laudabili prorſus temperamento, Principatum legibus devinctum, populique ac magiſtratuum auctoritate, ne in tyrannidem abeat, libratum. Præſertim cum inermem aculeo conſtet ſupremam hanc poteſtatem eſſe; ut benevolentia, nempe, potius civium (quod Principum eſt) quam metu (quod Tyrannicum) ſit tuta ac ſecura. Sed non lubet bugoniam (ut Varro loquitur) ſcribere, aut curam Ariſtomachi Solenſis imitari, qui duodeſexaginta annis nihil aliud dicitur egiſſe. Itaque remitto lectorem ad apiarios, & vel hiſtoriæ naturalis, vel rei ruſticæ ſcriptores. De potu autem, quem hydromeli, vel aquam mulſam vocamus, hoc addo, non nobis ſolum, ſed & Germaniæ, præſertim in Pomerania & Dania uſitatum eſſe. immo & veteribus non ignotum: cum Plinius dicat, *aquam mulſam, longa vetuſtate tranſire in vinum.* Quod teſtatum facit Lithva-

Ibidem.

Lib. 11.

F nia

nia conditam à temporibus Vitoudi Principis asservans, puto absque exacta Chronologiæ ratione, liquoris vetustate annotata, exemplo veterum, & Horatii, qui *Cadum Marsi memorem duelli*, & testam Consulum nomine, sæpius insignit, uti & alter Poëta, dum inquit,

Lib. 3. Ode 14.

Ovidius.

——— *mihi fundat avitum*
Consulibus priscis condita testa merum.

Neque tamen potus iste in deliciis habetur, quinimo fere illo cautiores abstinent; cum suppeditet nobis vinum abunde Hungaria, quæ Poloniæ cella vinaria audit.

Flumina paludesque plus justo quasdam provincias obruunt, adeo ut æstate vix possint adiri.

Topographiam totius Poloniæ non ponam; longum hoc est, neque mei instituti. Tantum vere & firmiter assero, nullum locum Poloniæ non pervium inveniri, ne dum provinciam, ut ille falso dicit, uti & istud.

Con-

Concretis per hyemem undis, curricula habent, quæ lubrica glacies facile evolvit, ita per regionem feruntur.

Pari omnino aut fide, aut peritia. Itane vero, non alia nobis itinerandi ratio, quam hyeme? & curriculisne tantum (puto illum trahas voluisse dicere) vehimur aut ferimur? Desunt nobis, scilicet, lecticæ cultæ omni ornatu, quì adhiberi solet: atqui audacter dicam, non est natio, quæ tam splendide, & tanto vehatur apparatu; Plurima genera sunt curruum, forma varia, & aliis insueta regionibus, elegantiæ vero singularis. Quidquid præterea uspiam, in Italia, Gallia, Germania, pilentorum, lecticarum, qua ad commodum usum, qua ad splendorem ac luxum inventum est, Magnates passim ac promiscue utuntur. Sejugibus quidem concoloribus vehi adeo usitatum, immo obvium est, ut id non ponatur in aliquo lautæ elegantiæ censu. Et cum in exteris nationibus, vilibus plerum-

 que

que essedis, quæ strigosi manni, præcisa aut rasa ut plurimum cauda, trahunt, patritiis etiam non indecorum sit uti, apud nos certe puderet, sortis alicujus aut fortunæ nobilem. Sed cum dixisset nos non posse itinerari, nisi hyeme (quod tam aperte falsum est, ut refutatione non indigeat) tum subjungit:

Hoc est commercii tempus, quo externi ad eos commeant.

Occluso nempe Poloniæ aditu, sublata viarum commoditate, quid mirum est commercia tolli? Hoc certe consequatur necesse est. Sed ut primum commentitium prorsus esse dixi, ita & hoc non ego, sed quicunque tantilla Europæ notitia tinctus, facile falsi condemnabit. Quis enim ignorat, Dantiscano celeberrimo emporio, tum vero Elbinga, Regiomonto, Riga, Stetino, aliisque portubus, ingenti copia omne genus mercium ad nos deferri? Certe Hollandia, mercimoniorum Europæ facile princeps, præcipuam negotiationem apud nos exercet, dum quicquid ex India advexit, Poloniæ potissimum vendit. Certe Anglia pannificium, maxime nostri causa, curat; Certe aliæ regiones maritimæ, ita commercio nobiscum junctæ sunt, ut communicatione mutua, *quod genitum sit usquam, id apud nos natum esse videatur.* Plinius Paneg. Iam vero terra quot advehuntur merces? Italia non alibi uberius sericum vendit, cujus promiscuus & perpetuus inter nobiles usus est. Ita ut, absque nobis esset, unica ejus, aut certe præcipua, in fovendis bombycibus œconomia, & artificium conficiendæ telæ ac vestis sericæ, penitus interiret. De Germania non dicam, quæ vicina & adsita nobis, permutat continuo suas opes. Hungaria quoque, ut jam dixi, nobis potissimum vindemiat, & generosum ac nobile merum propinat, ipsa vappam bibit. Iam Asiaticæ, id est Turcicæ ac Persicæ merces, quanto cumulo ab Armenis advehuntur, non est opus dicere; Nota hæc facile cuivis esse possunt. Et Barclaius, vel à popularibus

ſuis Scotis (nam fuit *gente Caledonius*, *Gallus natalibus*) ſcire optime potuit. Natio iſta pertæſa miſeræ & ſterilis patriæ, *Per mare pauperiem fugiens*, apud nos quæſtum facit. Antea viliſſimi propolæ

Iuvenal. ſat. 3. —— *quorum Cophinus fenumque ſupellex.*

aciculas tantum, cultellos, fibulas, & alia id genus minuta divendebant, ciſtas & ſcrinia dorſo bajulantes. Nunc vero (forte poſtquam falſam Barclaii de impeditis itineribus narrationem agnovere) curru mercimonia devehunt, & per oppidorum nundinas vagantur. *Mercatura autem* (inquit *Lib. 1. de Off.* Cicero) *ſi tenuis eſt*, *ſordida eſt*. Vnde illi eo cenſu habentur, quo Iudæi. Eſtque omnino nobis clitellarius Scotus, & Iudæus apella. Κρὴς πρὸς αἰγινήτην. *Cretenſis cum Æginеta.* Hæc de externorum apud nos negotiatione; Quæ cum fructuoſa eſſe nequeat, niſi viciſſim permutentur merces; idque ſit proprie commercium facere; ut penitus præcipuo iſto ſocietatis humanæ vinculo, ac commodo ſpoliaret Poloniam, & inſociabilem plane redderet, non ſolum raro nos adiri, id eſt, nihil

nihil inferri mercium dixit, ſed etiam vix aliquid à nobis emi. Addit enim,

> Ceram & pelles mercantur, ac ſi quid
> præterea ſub tam rigido cælo in
> precium naſcitur.

Si de Scolymorrhodia, aut Luſinia, (ita Scotiam forte Euphormio nominat) iſta dicerentur, veriſſima prorſus eſſent. Ibi enim profecto, ut initio ſatyræ ipſe dixit, *nulla bruma ſegetes extinguit, nulli æſtus adurunt*; Et ſi cauſam requiras, non alia poteſt aſſignari, niſi quia nulla proveniunt.

Nullaque in infauſto naſcitur herba ſolo. *Senec. Epigram. ſecundo de Corſica.*

Quid enim tam nudum inveniri poteſt, quam illud ſaxum? quid, ad copias reſpicienti, jejunius? quid ad ipſum loci ſitum horridius? quid ad cæli naturam intemperantius. *Idem Conſolat. ad Helviam cap. 6.* Tali patria oriundus cum ſit Barclaius, inſultat Poloniæ, illi inquam, Poloniæ, quæ maxima rerum omnium ad uſum vitæ copia & ubertate affluit: & quæ vere eſt, ut cum Poëta compendio dicam, *Terra bonis contenta ſuis.* Id autem ut oſtendam,

dam, velut per indicem, breviter tamen recensebo præcipua, quæ apud nos, non sub cælo tantum, ut nugatur, sed etiam solo nascuntur, in pretium. Inprimis autem, ut à Plutonis regno ordiar; pretii omnis fons, ac origo secunda, argentum, quod Ilcussienses fodinæ, Kielcenses, Checinenses affatim suppeditant. Sed primæ potissimum. Situm est Ilcussium in Minori Polonia, & quatuor milliaribus Cracovia dissitum, fere autem integro milliari Polonico circa oppidum, fodinas habens, quas à trecentis jam fere annis excolit, fecunda & rara metalli, per tot secula suborientis opulentia: Cum sæpe anno uno ad sex millia pondo argenti, quas marcas vocamus, extraxerit; plumbi vero ultra quinquaginta millia centenariorum; quod ex rationibus ejusdem oppidi compertum habeo. Magnam vero probabilitatem facit, in illo tractu consimilis terræ positio, natura, color, latius venas istas protendi ac patere. Immo & experimenta idem comprobant, tentata à quibusdam & explorata. Sed quia impen-

impendio grandi res egeret (ut nempe subterraneus canalis, quem stolam vocant, aquam scaturientem, effuso, qua devexa est terra, alveo educat) ideo res hactenus dilata est, non sine spe tamen, conatus & eventus quandoque secuturi. Ex iisdem regionibus cadmia fossilis eruitur, ingenti prorsus copia. Metallum vero istud, commixtum æri, efficit Orichalcum. Æs vero ipsum Bozecinum prope non contemnenda ubertate effoditur. Ferri denique maxima copia, pluribus ex officinis prodit. Quæ omnia Dantiscum in exterarum gentium usus devehuntur. Sunt & montes carbonum fossilium, sed illorum usus nullus, cum abunde sit aliorum. Iam vero, antequam has telluris opes, è visceribus ejus petitas, claudam ingenti prorsus salis proventu, præfabor jure merito, cum non ineleganti Poëta quodam nostro, dicamque,

Pande tuos natura sinus, & divitis antri
Profer inexplicitum terris vectigal, & ingens
Depositum clara Lechiæ sub luce repone,
Phæbe pater, si quando tua de fontibus unda

Restinxisse sitim licuit: salis ima petentem
Da calices hausisse novos, da largius urnam
Plenaque Castaliis immergere labra fluentis.

Rara omnino istius (quod aliorum opsoniorum opsonium est ac condimentum) apud nos Divum munere affluentia. Divum inquam: nam opinio est vulgo recepta, Sanctæ Cunegundis precibus impetratum nobis à Deo istud sal terræ, &, illa indicante, detectam ejus venam. Porro *sal aut fit aut gignitur*, inquit Plinius. Lib. 21. Cap. 7. Vtrumque vero habet magna ubertate Polonia. Nam factitium & coctilem Russia affatim suppeditat, Samborum & Kolomiam prope, fossilem vero minor Polonia habet. Sed factitius, qui aut igni excocta aqua, aut mari adfuso in salinas, Solisque radiis humore siccato fit, frequens multis populis, & promiscuus est. Metallicus vero, &, ut vulgo dicitur, mineralis, paucis locis invenitur. Meminit Plinius in citeriore Hispania Egelastæ, & in India Oromæni montis, *ubi* Ibidem. *lapicidinarum* (inquit) *more cæditur renascens, majusque regum vectigal ex eo est, quam ex auro atque margaritis.* Profecto Vieliciam aut Bochniam putes illum descripsisse. Vtroque enim loco magnæ molis cylindri solidi salis, velut rupium fragmenta, excinduntur, tanta copia, ut non usibus tantum Poloniæ sufficiant, sed & Silesiam Moraviamque sustentent. Et magnum sane proventum etiam nunc fisco Regio adferunt, sed immensum plane adferrent, nisi maxima pars in usum Nobilitatis absumeretur. Velut enim annonariis legibus, olim populo Romano, frumentum è publico datum, modico aliquo pretio, aut nullo; Ita apud nos equestris ordo gratuitum fere sal accipit, habetque hunc velut usum fructum patriæ communis, necessitatibus privatorum deservientis. Hæc autem vel sola copia ac ubertas salis, insulsum plane ostendit Barclaium, qui negat aliquid nobis in pretium nasci. Sali adjungo sal nitratum, quod Podolia abunde suppeditat; tum vero aliis è provinciis sulfur. Addo denique alia, quæ jam terra non abscondit, sed benigne profert, atque alit multiplici fertili-

 tate.

tate. Inprimis autem omne genus frugum, ea quam paucis attigi affluentia. tum vero linum, cannabem, lanam, ceram, mel, omnia ingenti numero accumulo. Boum innumera armenta, cum Iaroslaviæ sæpe triginta eorum millia, unis nundinis, vendita fuisse sciam. Equorum item sex septem millia. Porro multæ sunt panegyres, in quibus minori quidem numero, sed tamen grandi satis, & aliis populis inaudito, venales sunt. Ita ut quotannis sexaginta millia boum è Polonia ad exteros mitti, tutissime possim affirmare, præter id, quod nos absumimus. Quid dicam de sylvestri proventu? Is vero ex rebus variis maximus est. Præcipue è cineribus distillatis, quod vulgo Potasz vocant, cujus ad pannificium, aut forsan tincturam panni, necessarius est usus, itaque magna copia in Angliam aliasque in oras divenditur. Tum vero pix, secamenta pro doliis, asseres omnis generis; Ita ut quod Ammianus Marcellinus de Cypro dixit, tanta nempe tamque multiplici omnium rerum copia abundare, *ut navim onerariam*,

Lib. 14.

rariam, à fundamento carinæ ad supremos usque carbasos, ædificare, omnibusque ornamentis instructam, mari committere possit, id ego multo potiori jure de Polonia dicam, quæ non unam navem, sed classes integras, nil opis externæ indiga, facile instruere potest. Quod adeo non agnoscit Barclaius, ut etiam dicat,

Plerumque lapides extruendis domibus deesse.

Omnino: Ita ut Scoti vicos oberrantes non habeant, quo se adversus canum assultus tueantur. Provide facturi, si è patria peterent hunc thesaurum, quo potissimum divites sunt. At homo nugator inaudivit forsan, non tam crebra nobis ædificia lapide aut cocto latere strui, & hinc sagaciter certe conjecturam fecit lapides deesse. Profecto si viveret, rogarem ut inquirere diligentius istud vellet, adiretque ipse Poloniam indagatum, curarem certe ut cum Plautino servo duceretur ad *latomias lapidarias* quæ pluribus in locis ad elegantiam Captiveis.

 archi-

architecturæ ſuppeditant, non lapides tantum communes & promiſcuos, ſed marmor etiam multiplex, & alabaſtritem. Certe Sigiſmundus III Rex, Checinum prope, columnas marmoreas binas excidi juſſit, altitudine pedum fere duodequadraginta. Sed dum extrahuntur, & machinæ ponderi non ſufficiunt, una per medium fracta. alteram vero nuper magno molimine Vladiſlaus Rex ſtatuit Varſaviæ, & memoriæ patris ſui dedicavit. Quod vel unicum argumento eſſe poteſt, non ſolum ad uſum, ſed ne ad luxum quidem deeſſe nobis quidquam, & poſſe cultiſſimas quaſque gentes omni elegantia æmulari & æquare. Habemus ergo; ſed quod jam addit, non utimur.

Lignis tantum (inquit) ad parietes utuntur, ſtramentoque operiunt, præterquam in celebribus oppidis, arcibusque optimatum, quantum illa regio ferre poteſt, excultis.

Præfracte nimis negare non poſſum, ſuperari

perari nos ab aliis gentibus, & ſplendore, & multo magis frequentia ſtructurarum. Effuſa nempe in alium luxum natio noſtra, & pertæſa longæ ædificandi moræ ac moleſtiæ, minus architectonicam hactenus curavit. Sed ut alia omnis luxuria, ita hæc quoque migrare ad nos videtur. Cum paucis ab hinc annis, multa vere regio ſplendore ſtructa ſint, quorum delineationes, brevi puto, vulgabuntur. Certe peritus quidam artis ac celebris Architectus, Italus natione, cum vidiſſet quaſdam nuperas Poloniæ ſtructuras, dixit eam, ſi pergeret ædificare, ut cæpit, intra unum ſeculum non æquaturam tantum, ſed ſuperaturam etiam hac in parte Italiam ipſam. Nobilium vero domus lateritiæ cultæ ſatis, & ligneæ non tam viles, ut eas deſcribit Barclaius. Non deeſt illis nitor & elegantia, neque ſtramento teguntur, ſed ſcandulis, quibus totam Romam contectam fuiſſe ad Pyrrhi uſque bellum, auctor eſt ex Cornelio Nepote Plinius.

Sed hactenus de regionis natura. Nunc pro-

promiſſam picturam animorum imperitus Apelles orditur; in qua pari omnino, aut fide, aut diligentia, verſatus eſt. Putes illum, tamdiu, tantoque ſtudio, fabulas ſcriptitantem, commentis aſſueviſſe, ita narrare ex fide nihil poteſt. Prima autem lineamenta, indolis & ingenii noſtri, hæc ponit.

Polonis (inquit) ut plurimum dura vita, cælo aſpero.

Cælum idem nobis cum cultiſſimis populis eſſe, jam dixi. Cujus tamen non ea in animos hominum vis eſt, quæ in herbas, fructus, olera. Quocunque loco mundi vixeris, æque ſemper diſtas ab æthere, ſi te illo oriundum meminiſti, ſi eo rediturum cogitas, agnoſces facile nil referre,

——— *quocunque ſub aëre naſci.*

Duram vero vitam cur nobis imputet, nullam cauſam video, præter imperitiam. Sequitur nempe ſuum genium homo ſemper præcipitis judicii. Et quia ultimum apud nos Septentrionem, terram ſterilem, ſylvis obſi-

obſitam, paludibus fœdam, ſeu ipſe incurioſe credidit, ſeu maligne ab aliis voluit credi. ideo aptat tali patriæ, indolem incolarum, conformemque ſuæ terræ facit. Quid reſpondeam? certe non aliud, quam, provoco ad eorum teſtimonium, quibus aliquo uſu innotuimus. Et fidenter dico, non ſolum ad calumniam reprimendam, ſed ad gloriam etiam conſequendam, *nihil nobis accommodatius fore, quam penitus inſpici.* Pateret facile, vitam nos vivere, omni decoro, omni honeſtate cultam, & non Sybaritica quidem mollitie, omni tamen affluentia commodam. Adeoque ab aliis nationibus non ſuperamur, ut ſæpe in iis multa requiramus. Quod tamen non agnoſcit, quinimmo, *Plinius Paneg.*

Nec populi (ait) moribus factis ad noſtri ſeculi venuſtatem.

Quanto verius dixiſſet, vanitatem! Nam certe, quidquid apud vos venuſtum & decorum eſt, repetitis peregrinationibus excerpſimus, & velut apes collegimus. Vtinam

nam vero non etiam mellis loco & venena, morbosque varios animorum. Nam quotusquisque cum Vlysse prætervehi gnarus (ut ait Epigrammatum scriptor.)

Syrenas hilarem navigantium pœnam?

Martialis. Certe ut culturæ & elegantiæ nonnihil, ita & vitiorum à vobis sumpsisse verum est. Non tamen degenerasse omnino in vestros, id est Gallicos mores. Gallia etenim, pulcherrima (fatendum est) regionum, nunc sola fere præbere videtur cultum morem, omnibus (præter Hispanos) comatis braccatisque Europæ gentibus. Et quidquid illa invenit, aut innovat, id pulchrum decorumque æstimatur. Excitata nempe gentis indoles, prompto ad omnia ingenio, & laudem meruit elegantiæ & imitationem. Sed ipsa hoc applausu superba, rigide nimis ab omnibus exigit, suos mores, damnatque contrarios. Cum tamen mea sententia,

Horatius Serm. 1. sat. 3. *Stultus & improbus hic amor (sui) est dignusq; notari.*

Non enim ita ibi vivitur, ut id regulæ instar omnibus esse debeat. Multa in promiscuo

miscuo usu sunt, quæ prisci & melioris ævi censuram non effugerent. Multa vana, ludicra, dissoluta. Innatum hoc nempe ingeniis humanis, ut nimia cultura ineptiant. Et causa in aperto. Nam permittunt sibi omnia. Ideo securi de judicio aliorum, qui suo multum sibi placent. Ita olim Græculi, dum omnes barbaros vocant, & sua nimis amant æstimantque, scimus quantum in omni vita deliraverint. Ita Romani, eorum exemplo, moribusque corrupti, quantum à prisca illa virtute, gravitate, & constantia, abiverint; vel Senecæ verbis patet; Qui *Torpent* (inquit) *ingenia desidiosæ juventutis. nec in ullius rei honestæ labore vigilatur. Cantandi saltandique obscœna studia effœminatos tenent: & capillum frangere, & mollitie corporis certare cum fœminis, & immundissimis se excolere mundiciis, nostrorum adolescentum specimen est.* Putes illum plane rationem vitæ eorum, qui nunc in Europa tam culti tamque elegantes audiunt, notasse. Quod ut ostendam, operæ pretium erit asserere, gravis viri, Philippi Cominæi, de Primo Controv.

 Galli-

Gallicis moribus indicium. Qui,dum ingenium Ludovici undecimi describit, *Mea quidem hæc est sententia,* (inquit) *ut arbitrer,plurimum illi profuisse, quod deserto patre, vixit annis sex, apud Philippum Burgundiæ Ducem: Nam si fuisset educatus, ita ut hodie mos est, in Gallia, puto illum ex tot difficultatibus, non fuisse emersurum. Sic enim hodie plerumque instituuntur, quasi ad ludum facti essent, aut jocum; litterarum nullam cognitionem habent, in vestitu nihil modestum aut grave, in sermone nihil prudens; negotiorum, tam ad vitam privatam, quam publicam, ignari. Si quis est, qui, tanquam è veterno expergefactus, rebus gerendis animum adjiciat, hoc sero admodum fit,& amissis propemodum occasionibus.* Hæc Gallus de Gallia. Quæ tantum abest, in melius mutata esse, ut putem, corruptos mores, jam à temporibus Cominæi,increvisse, & incuriam hanc, negligentiamque vitæ, plurimum auctam. Ridiculum est, & verum, quod narrabo. Dum Parisiis essem, quæsivi ab hospite de Academiæ loco (Sorbonam ibi vocant) atque petii, me ut in illam deduceret. Respondit ille, plures esse in

Lib. 1. ex versione Sleidani.

in urbe; & num omnes, num aliquam è præcipuis, adire esset animus, percontatus est. Ego ratus rudem hominem, & idiotam, Collegia singula, sub nomine Academiæ sumere, rogavi, ut præcipua saltem eo die inviserem, reliqua postmodum aditurus; Sequor itaque præeuntem. Intramus vero amplam domum. Multi juvenes inerant, quorum pars gladiatoriam exercebat, pars saltabat ad numeros, alii pulsabant testudinem, alii ligneo equo insiliebant, alii denique varie torquebant, jaciebantque hastas. Cum petii, quænam domus hæc esset, respondit, hanc Academiam esse, & hic nobilitatem Gallicam institui. Istisne tantum artibus, inquam: non, inquit; & toto matutino tempore equitare etiam solent. Aversus ab illo, risi effusissime. Et, ô Musæ, inquam, itane gladiatorius ludus, aut palæstricon, occupat sacratum vobis Academiæ nomen? En profecto novos Academicos, novos Arcesilas, Carneadas, Pirrones, qui non jam nihil sciri posse docerent, sed nihil disci oportere, exemplo

 suo,

suo, & tota vita comprobarent. Etsi enim corpus exercere, & ad arma, ac militaria opera assuefacere, juventuti præsertim pulchrum & laudabile: Tamen *cum nostra omnis vis, in animo, & corpore, sita sit; animique imperio, & corporis servitio, magis utamur:* plus certe curæ tribuendum erit illi, qui *dux atque imperator vitæ mortalium est.* ne incultu & bonarum artium inscitia obsolescat. Id vero, Gallica Nobilitas non agnoscit, cujus educatio omnis, & cultura, ad corpus refertur. Ita autem educati, quomodo doctrinæ quidpiam, & prudentiæ, multo vero minus sapientiæ habeant? Nihil legunt, præter amantium fabulas, id est (ut Lipsius alibi dixit) *nugatorum ingeniosos fœtus, libros pestilentes, natos blande inficere, aut interficere juventutem.* In quo numero ex veteribus Heliodorus est, nuper vero Amadæus, Vrseus, & qui nobis convitium facit, & qui

Sallustius bello Catil.

In Notis Polit. ad cap. 10. lib. 1.

——— *peccare docentes*
Fallax historias monet,

Horat. lib. 3. Ode 7.

Ioannes Barclaius. Hos secuta infinita prope farrago, narrantium, procaces virginum mores,

mores, clam parentibus habita cum procis colloquia, furtivas literas, conventiones nocturnas, amplexus, oscula, ac denique fugas etiam, & absque ulla violentia raptus: omnia vero ista, si Diis placet, salva pudicitia atque honestate. Hæc uterque sexus legit, miratur, & imitatur.

Attendit Thymele, Thymele tunc rustica discit

Iuvenal. sat. 6.

——— *& fingitur artibus*
Iam nunc, & incautos amores,
De tenero meditatur ungui.

Horat. lib. 3. Ode 6.

Indecorum vero esset juveni, non habere virginem, quam procet, quo beatus sit vulnere, qua pereat sagitta: Non spe aut animo connubii, sed ut amore langueat, aut potius se languere simulet, crebro suspiret, continuo adhæreat, confabuletur, officiose salutet, deducat, & omnino otiose insaniat. Hoc agunt omnes, inter speculum, & pectinem, & calamistrum occupati. Si quid diei superest, datur audiendæ histrioniæ, vel pilæ ludo. Ita tempus vitæ absumunt, homines, digni profecto, quos Æacus, post mortem, jubeat cum Claudio, *alea ludere, pertu-*

Seneca Ludo in Claudium.

pertuso fritillo. Et nisi quandoque bello occuparentur, certe luxuria, lascivia, otio periret,

In cute curanda nimis operata juventus.

Iam vero quæ Cominæus memorat de vestitu, hic continuo & in dies mutatur. Nec ille solum, sed capillitium, barba, & hoc forte male habet, quod non tota faciei forma. Quamvis absque hoc satis immutantur, & quem hodie senem vidisti, cras rasa; barba, tum capillitio adscito, juvenem videbis. ita ut sæpe riderem, quæ Medea istos, tam cito recoxisset. Vltra non lubet has amænitates & venustates persequi: quibus carere Poloniam adeo non inficior, ut gratuler etiam patriæ. Non habemus profecto istas delicias, non habemus *Mancipia in magisterium recepta, quos nova artificia docuit fames, qui gressus nostros temperent, qui saltare,* canere, ludere, & ejusmodi nugas docti, alios doceant: De gravibus & seriis Romanis dicit Cornelius Nepos, *Scimus musicen nostris moribus abesse à persona virorum principum, saltare etiam in vitio poni.* Hoc quadrat nostræ

Seneca Epist. 15.

nostræ nobilitati, quæ curis Reipubl. intenta, his artibus non indiget; Illis qui à publicis negotiis arcentur, convenit talibus occupari. *Expedit tibi ô Cæsar* (dicebat Histrio ad Augustum) *populum circa nos distineri.* Nam *virtus*, culta ac civilia ingenia *subditorum*, tum mentes, ad seria negotia natæ, ut ille ait, *ingratæ imperantibus*; *quibus boni, quam mali suspectiores sunt*; *semperque his* (ut vere inquit Sallustius) *aliena virtus formidolosa est*; & causam puto recte assignat Panegyristes, quia nempe *patientiores servitutis arbitrantur, quos non decet esse nisi servos.*

Apud Dionem lib. 54.

Tac. in vita Agric.

Sallust. Iugurt.

Sed ne videar externos mores reprehendere, proprios vero consulto præterire, paucis rationem vitæ nostræ aperiam. Istud autem inprimis: Nobilitatem Polonam non esse urbicolam, & mercatoribus ac opificibus relinquere hanc mansionem. Villas & paterna rura quisque incolit, magno ut infra dicam probitatis integritatisque præsidio. Porro, quamvis ruri habitantibus, non per inertiam vita perit, actioque omnis nostra, partim in Reipub. procuratione,

partim in domesticis negotiis occupatur. Prima, honesta, imo splendida est. altera vero, seria, innocens, ac jucunda. Publica quod attinet: Inprimis comitia obimus, non solum cum suffragii jure, sed etiam cum intercedendi potestate. Magnus vero iste magnarum mentium, gloriæ comparandæ, caritatis erga Patriam testandæ, ac boni publici promovendi, campus est. Hic enim leges conservamus; hic omnia censemus, vetamus, intercedimus; hic egregia moderatione, inter venerationem Principis, libertatisque patrocinium, bono patriæ consulimus. Huc potissimum institutio omnis nostra aptatur & dirigitur. eo fine juventus nobilissima literas discit, ut eas aliquando, magna ingenii, judicii, & eloquentiæ fama, in usum Reipubl. promat. Promit autem rara, nec vulgari aliis gentibus, laude. Dum qua equestris, qua senatorii ordinis viri disertissimi, gravissimas sententias, dignas posteritatis memoria, dignas notitia exterorum, promunt ac proferunt; & priscæ illius constantiæ, quam olim Roma in

ma in suis civibus (sed brevi tempore, neque sub principatu) venerata, magna edunt specimina. Quam dispar autem aliarum nationum πολίτευμα? ubi in civili administratione, *nihil come, nihil simplex, nihil honestum, nihil illustre, nil forte, nil liberum.* Vbi nobilitas *ἀπολιτικώτατη, nihil consulitur, timet multa, assentitur omnia.* Vbi nulla comitiorum potestas, nulla ordinum autoritas, sed umbra & vana species consultationis, & *muta ac sedentaria tantum, assentiendi necessitas*, dum *unus solusque censet quod omnes sequantur, & omnes improbent*, dum imago vera miseri illius senatus, quem tum vidit Roma, cum *amisisset non modo succum ac sanguinem, sed etiam colorem, ac speciem pristinæ civitatis.* Et quem ita descripsit poëta.

tractatio Reipubl.
Cice. ad At. lib. 1. Epist. 12.
expers maxime negotiorum civilium.
Idem Epist. ad octav.
Plinius Paneg.
Cice. ad At. lib. 4. Epist. 15.

——Non consule sacræ
Fulserunt sedes, non proxima lege potestas
Prætor adest, vacuæque loco cessere curules.
Omnia Cæsar erat.

Lucanus lib. 1.

Vbi nec *sentire quæ velis, nec quæ sentias dicere licuit.* & cum voce memoria quoque ipsa periisset, *si tam in potestate eorum fuisset oblivisci,*

Tacitus Hist. 1.
Idem in vita Agric.

quam tacere. Sed ne insultare videar alienæ miseriæ, redeo ad narrationem quam incepi.

Et hic quidem primus, uti dixi, campus est Reipubl. capessendæ. Alter vero non minus celebris, judicia nempe, ut vocantur, Tribunalitia, absque ulla provocatione. Vbi etiam supremæ civilis potestatis participes efficimur, accepto arbitrio in bona & honorem concivium, imo in vitam etiam ipsam. Cum etenim Principes curis imperii distinerentur, & jus dicere ac reddere in tam amplo regno non possent, precibus & necessitati civium concessere, ut delegatos judices sibi crearent, certasque actiones eorum permitterent arbitratui. Legunt itaque, certa & stata die, binos aut singulos, ex quovis districtu: qui, ubi convenere, annuam potestatem retinent, sed amplam, ut dixi, & Regium quidpiam præferentem. Eximia etenim eorum majestas ac veneratio, multis legibus asserta, constanti usu & consensu nobilitatis retenta ac defensa. quæ velut unicum tutamen ac præsidium libertatis habet judicia ista. Et quidni habeat? Certe seu ad justitiam exercendam, seu ad vitandam oppressionem unius, seu ad æqualitatem retinendam facit: judicia deferre iis, qui abuti potestate tanta non possint. Brevis enim & annua est; & lege cavetur, ne prorogari aut continuari electione queat. Tertia occasio Reipubl. tractandæ est, quam exigit cujusque munus & officium. Sunt enim Magistri finium regundorum, qui Principes equestris ordinis audiunt. Sunt provinciales Iudices: sunt denique publicæ securitatis custodes, capitanei, ut vocantur; inter istos partita est forensis omnis opera. Deinde extraordinariæ quædam publicæ functiones interveniunt, auctoritate Comitiorum injunctæ; sed injunctæ volentibus: nam cogere, & invito munus quodcunque imponere, nemini fas est. Hæc sunt fere publica pacis negotia quibus occupamur. Bello autem aliquo imminente, promptam multi subeunt militiam. Neque tantum nomina sponte dant, sed pro opibus, equitum pedi-

peditumque pluribus centuriis & cohortibus, proprio ære scriptis, necessitati publicæ subveniunt. Res est mira, & nescio an ullis gentibus olim & nunc sueta. Certe ut expeditiones veteres non memorem, nuper cum Koniecpolius contra Tattaros moveret, præter ordinarium Reipubl. militem, qui ad subita casuum continuo alitur, octodecem millia lecti militis, ultro à privatis submissi, in castris habuit, qui eorum sumptu militarunt: Vt vel hinc appareat, ibi communem salutem omnibus esse curæ, ubi Regnum, non possessio, non hæreditas, non peculium unius, sed societas legibus devincta, sed patria communis est. Quam, aliter, ubi despotæ illi & domini regnant: ubi nisi emptus, nisi coactus miles militat, ubi nulla subsidia, nisi extorta ab invitis, & perdere se reputantibus quicquid conferunt in publicum.

Iam vero, ut ad alteram partem veniam vitæ nostræ, tum illorum qui à publicis curis per intervalla vacationem aliquam habent, *tum qui procul negotiis ut prisca gens mortalium*, sibi vivunt; utrorumque, inquam, *non est animus, secordia atque desidia bonum otium conterere.* Sallust. Catil. Seria uti dixi, innocens, & amœna est occupatio. Aut enim œconomicis laboribus tempus transigitur, dum quisque suum patrimonium diligenti industria excolit, utilius semper reddit, & pro copia exornat; dum non erubescit, alia ruris negotia, quæ infima etiam obiisse magnos viros scimus, *gaudente sæpius terra* (ut Plinius inquit) *vomere laureato & triumphali agricola.* Lib. 18. Aut venationi indulgetur, quæ liberalis plane & jucunda in usu continuo nobis est. Aut lectioni etiam aliquantum datur, aut amicorum officiis, & mutuæ hospitalitati, aut denique solutæ curis edacibus vitæ. Dicunt nempe, & sentiunt tales cum Kochanovio nostro.

Patria rura colo: nunc fallax aula valebis; Lib. 3. Eleg. 15.
Nil promissa equidem magna tua illa moror.
Libertas, gemmarum instar mihi, & instar arenæ est,
Lydius aurifera quam vehit amnis aqua.
Hic ego nec nutum alterius, nec limina servo,
Infringens duris molle latus foribus.

Nec

Nec votis exopto famem incanatus herilem,
Nec cuiquam in turba pugno aperire viam.
Nullius ad leges vitam compono, licetque
Tempora mi arbitrio ponere cuncta meo.

Et alia quæ ibi celebris poëta eleganter in laudem vitæ rusticæ ſubjungit. Porro, ut veriſſime dixit Tragicus,

Seneca Hypolito.
Non alia eſt magis libera, & vitio carens,
Rituſque melius vita quæ priſcos colat;
Quam quæ relictis mœnibus campos amat.

Veriſſime inquam, & vel experimento Poloniæ id dicere poſſis: cujus ego conſtans probitatis pietatiſque ſtudium, mores ut plurimum, priſcæ illius integritatis & modeſtiæ, totam denique vitæ rationem ſeriis occupationibus deditam, non alteri cauſæ adſcripſerim, quam, quod non miſcemur vitiis, quæ continua illa & otioſa cohabitatio, viciſſim tradit & accipit. Hinc profecto eſt, quod caremus depravatione illa & corruptela morum, qua plerumque ſcatent animi gentium externarum. Hinc quod pacem & quietem publicam patimur, nec conſpirationes, factiones, turbas, bella

bella denique civilia excitamus: dum enim quiſque domi ſuæ Rex eſt; dum habet, quo otium honeſte ac jucunde tranſigat; dum mentem rerum præſentium cura occupat; non ille vaſta animo concipit, aut meditatur,

——— non ille Regno ſervit, Ibidem.
Aut Regno imminet, ſpei metuſque tutus.

Hæc eſt, contra Barclaii calumniam, morum & conſuetudinem Poloniæ defenſio. Quibus non venuſtas, ut ille dixit, ſed vanitas deeſt: Seria enim amamus, & illis adhæremus. Vobis, quibus (ut Senecæ verbis dicam) *omne ludicrum in pretio, quibus etiam poſt juventam canoſque puerilitas remanet,* & qui ſenes pila luditis: Vobis, inquam, hæc omnia venuſta relinquimus, & frui talibus patimur, ſine æmulatione aut invidia noſtra.

Et hinc (inquit) ſæviora ingenia.

Plane, ſumus truces, feri, immanes, & denique Scotis ſimiles, quorum ſæviſſimas mentes, *&, ſupra fas humanitatis, odii ac inimicitiarum tenaces.* eodem libro deſcribit Barclaius.

claius. *Cædem cæde* (inquit) *repensare decorum, incendia alternis ignibus vindicare, nec aperto tantum marte, sed insidiis & fraudibus agere: & denique nihil turpe aut ignobile, modo ulciscantur inimici, reputare.* Ecce Thracum mores,aut potius Scytharum (nam sunt ex Geographis, qui Scotos ab illis dicant oriundos.) Ecce Scoti, confessione popularis sui homicidæ, incendiarii, & qui fraudibus grassantur. De nobis puto illum nihil ejusmodi scivisse, & ista scribere tantum, ut tinniat verbis, vere æs Dodonæum. Sævitia igitur omnis abest. *At ingenii Benigna vena est*: Ingenii, inquam, ad omnia facilis, erecti, & excitati. Musas certe passim ab exterarum gentium nobilitate spretas, & ad plebeium ordinem, ut plurimum, redactas, nos soli velut proprias putamus splendori natalium; & claritudinem generis, nulla alia ratione magis illustrari censemus, quam doctrina. Vnde prima institutio nobilissimorum Adolescentum, literarius ludus & Schola est. Hac ad juventæ maturitatem detinentur, illamque egressi, peregrinationes obeunt

Horat. lib. 2. Ode 18.

eunt eadem cupiditate doctrinæ. Agnoscit hoc sæpe Lipsius,& Schonæo scribens fatetur, *hac parte beatam patriam nostram esse. apud nos* (inquit) *in omnia alia studia Nobiles versi.* Eademque Epistola, *humanitate, elegantia,omni cultu animi nos provocare*,dicit, *lætissimas quasque gentes.* Sed quid ego dico provocare? immo, ut ipse fatetur, superare. Nam Epistola alia, ad Marcum Velserum Germanum, (ne putes illum genti abblandiri, quod certe ingenio tanti viri alienum) *Mirum mirum* (inquit) *Sarmatiam sic excultam hodie, vel supra Hesperiam utramque (gnarus dico) esse. Nostri homines aliter, & veteres Cimbri (Becani hæc assertio) ad Cimmerias ignorantiæ tenebras eunt.* Huic testimonio tanti viri addo Erasmi Roterodami judicium, dicentis, nos, *& literis, & legibus, & moribus, & religione, & si quid est quod à Barbariei probro vindicet, cum præcipuis & lautissimis nationibus certare posse.*

Centur. 4. Miscel. Epist. 7.

Centur. 5. Miscel. Epist. 51.

Diversoria peregrinos excipiunt, longe à nostrarum terrarum ratione.

Deducuntur in ſedem quæ inanis eſt, & plerumque perfoſſis ad accipiendum lumen parietibus, ventis quoque & hyemi patet. Nulli quibus decumbant lecti, non erecta ad epulas menſa, longo ac multiplici clavo paries fixus eſt, illic hoſpites ſarcinas, quas habent, in ordinem appendunt: multo deinde ſtramento ſternitur ſolum, & hoc in illis diverſoriis pro toro eſt. Itaque per illam regionem proceſſuri, ad iter ſe comparant, quaſi domum circumducant, cibos & cætera in alimentum ferunt, lectulos in rhedis collocant; ut nudis illis tectis excepti ſua ſupellectile, & famem & frigora arceant.

Hæc quamvis multum verbis auxit, & more

more ſuo (eſt enim, uti dixi, ſemper λαλίστατος) exaggeravit, non omnia tamen falſa dixit. Non ſunt nobis hoſpitia quæ menſam apponant peregrinantibus, & quæ lectos præbeant. Sed qui perſpectam habuerit rationem morum & conſuetudinum Poloniæ, adeo iſtud non mirabitur, aut damnabit, ut approbet etiam, & adfateatur aliter fieri non poſſe. Nam tenuioris fortunæ homines, lautis hoſpitiis non indigent. exteri vero, præter mercatores, raro nos adeunt. Nobilitas autem tam frequentem & numeroſam familiam, tam ſplendidum famulitium alit, ut fidem res apud externos, & rerum noſtrarum ignaros, non inveniat. Certe privati homines Regum aulas ſæpe æmulantur, & ſtipati incedunt caterva ingenti, quam nullus tam lautus caupo eſt, qui commode excipere poſſit. Commeatus in anteceſſum parandi ſunt, qui tot viris, tot equis ſufficiant. Id autem & minore impendio fit, quam ſi in ſingula capita iniquis illis exactoribus ſolvendum eſſet, & commodius multo, cum cibi exquiſiti apponantur,

loquaciſſimus.

nantur, & ad arbitrium cujusque parati; unde etiam in exteris nationibus, qui laute & splendide vivunt, suo coquo & supellectili utuntur, immo & lectos etiam ferunt. Et nos sæpius experti sumus, quam grave sit viles semesasque dapes, & crambe recoctum pransitare, quod apponunt perditi caupones. Qui ut apud Comicum Coquus loquitur,

Plaut. Pseud. Act. 3. sc. 2.

—— Condita prata in patinis proferunt.
Boves qui convivas faciunt, herbasque oggerunt;
Eas herbas herbis aliis porro condiunt.
Teritur sinapi scelerata cum illis.

Quam item fædum ac spurcum lecti sordes pati, sæpius puris & scabiei, & luis venereæ signa maculasque præferentis? Certe, cum Seneca, *siccum panem, & sine mensa prandium, post quod non sint lavandæ manus, & lectum qui resistat corpori, nullumque ejus præbeat vestigium*, mallem; quam his spurcitiis uti. Nam præterquam in celebribus oppidis, quis neget ut plurimum misera hospitia esse? Quod autem de perfossis parietibus addit, falsum est: uti & alia quæ verbis attollit.

Epist. 87. & 108.

tollit. Nec tanta est molestia, quasi domus circumferenda esset, ut ille imaginabatur. Usus ac consuetudo jam istud facile reddidit. Et apte, ac concinne, miraque celeritate omnia explicantur, atque convasantur.

Gens ad malitiam & licentiam nata, quam vocant libertatem.

Ferociam ad Scotos jam ablegavi, agnitam ab ipso Barclaio. De libertatis apud nos modo & statu, dicam infra. Nunc vero legem, qua nos barbaros facit, à calumnia vindicabo.

Adeo (inquit, ad ferociam sunt nati) ut infandæ barbariei legem, multis seculis ibi solemnem, vix nunc demum omiserint. Ea scilicet caverant, ut, qui hominem peremisset, solveretur metu judiciorum, si in jacentis cadaver projecisset paucu-

culos

culos nummos, quorum numerus eadem lege destinabatur.

In hac iniqua criminatione, nostri quid prius accusem nescio. Certe ei & fides; & peritia, & judicium deest; & temeraria tantum malignitas superest. Falsum enim, quod metu judiciorum solutos homicidas, & tantum projici dicit pecuniam in cadaver occisi. Nam etsi mulcta pecuniaria est, decisione tamen judicum constituitur, & (quod ex imperitia auctor omisit) additur semper, in pænam, gravis & opacus carcer, in imo & fundo turris, anno integro & sesqui-mense tolerandus, de quo pacisci, & transigere, nunquam fas est: Et convicti transactionis factæ, iterum illum subire tenentur. Neque hæc legum benignitas cuivis patrocinatur homicidio. In recenti, ut loquuntur, facto, & crimine, capti, tum invasores, prædones, capitale subeunt supplicium. Qui vero glande è sclopeto occiderit, duplici mulcta pecuniaria, & biennali carcere punitur. Quid hic vero immane?

quid infandum? quid barbarum? Atqui audi, ô imperite, & disce, non æquitati naturali, non juri divino contrariam hanc legem; multis vero gentibus usitatam; & denique, rectæ rationi valde congruam consonamque esse. Singula hæc ut ostendam, & comprobem: Fateor quidem deberi pœnam omni sceleri, natura id dictante & exigente: sed non certæ ultionis, aut vindictæ; verum societatis, ad quam homo natus est, conservandæ causa. Nam appetitus ille reponendi doloris, quem solum vindicta respicit, non est naturæ rationali, quam solam hic spectamus, proprius, sed ei, quam cum brutis habemus communem. Vnde finis verus pœnæ, ex sententia Theologorum, *aut est* (dicam hoc verbis Senecæ illis consentientis) *ut eum quem punit emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut, ut sublatis malis, securiores cæteri vivant. Emendatio* nempe ejus qui peccavit. *Exemplum* ne peccent alii. *Securitas* denique ne mali noceant bonis. Ad hos vero fines consequendos, non semper pœna requiritur capitalis.

S. Thom. 2. 2. Q. 107. Ar. 1.

De Clem. Lib. 1. cap. 22.

Quin-imo & ad emendationem illa eſt optima, quæ poſtquam caſtigavit, pœnitentiæ & correctioni locum relinquit: Et ad exemplum magis conducit, ſi longa, ſi diuturna eſt: & ſecuritati denique ſufficere poteſt, etiam citra mortem irrogata, ſi gravis ſit & ſevera, ſi non conniveat, non ignoſcat, & ita demum infligatur, ut poteſtatem adimat nocendi. Quæ omnia in lege noſtra palam eſt contineri. Ergo hinc apparet illam juri naturæ minime adverſari. Sed divino forſan adverſatur, quod aperte mortem irrogari jubet homicidæ. Exod. Cap. 20. v. 12, & 15. Levit. Cap. 24. v. 17. Verum in promptu eſt opponere, quod omnium Theologorum conſenſus, & Eccleſiæ approbavit auctoritas. Leges nempe Hebræis datas, alias morales fuiſſe, quæ præcepto Decalogi potiſſimum continentur, & quibus omnes tenentur Chriſtiani. Alias cerimoniales, quibus non modo non tenentur, ſed etiam prohibentur uti. Alias denique politicas, & judiciales, easque nec imperatas, neque prohibitas nobis. Inter iſtas

S. Thom. 1. 2. Q. 104. Art. 3.

iſtas poſtremas ponitur hæc de homicidiis, à qua ut non diſcedendum temere concedam; ita hoc audacter affirmo, per illam non eſſe vetitum ſupremæ civili poteſtati, mitiora ſanciendi, pro ingenio & natura populorum. Si enim licita ei eſt, citra peccatum, clementia & remiſſio pœnæ, quod nemo diffitetur: cur non moderatio & temperamentum? Non enim profecto ea neceſſitas eſt ſupplicii, quæ reſtitutionis. Nam reſtitutio, quia compenſat injuriam, non poteſt parte invita à judice condonari. Pœna vero, dum nihil accuſatori confert, præter feram vindictæ dulcedinem, ideo & veniæ capax eſt, & multo magis moderationis; quam lex Euangelii minime certe prohibet. Immo cum repoſitionem injuriæ, & ultionem adeo arcte reſtringat, certe multo magis talionem improbare videtur. Quam & in foro Iudaico tum demum exercitam, cum lædens paciſci nollet, Rabini teſtantur, *& dentem pro dente, oculum pro oculo* repeti, fas eſſe dicunt; ſed ea cum exceptione, ſi aliter ſatisfactio

 non

non ſequatur, quam & arbitrio Iudicis putant decernendam. In legibus vero Decemviralibus, recenſet Lipſius, caput quadrageſimum tertium verbis iſtis SI MEMBRVM RVPSIT. NI CVM EO PACIT. TALIO ESTO.
Lib. 4. *Sed pœna hæc duodecem tabularum* (inquit Iuſtinianus) *in deſuetudinem abiit; quam autem Prætores introduxerunt, in judiciis frequentatur.* Nempe Honoraria, (ut vocabatur) & ſecundum dignitatem læſi, vitæque ejus honeſtatem, pecuniaria mulcta æſtimata. Quod ſi talio iſta ad terrorem tantum data eſt Hebræis, nec unquam in uſu forenſi habita; ſi Romanis etiam nimis rigida viſa eſt; quanto magis decet Chriſtianos, illa, quantum fieri poteſt, abſtinere? qui legem gratiæ habemus, omnis patientiæ ac manſuetudinis Magiſtram. Vnde quidam Capitalia ſupplicia vetita omnino nobis eſſe docent, falſo quidem, ſed tamen non barbarie infanda, ut nos accuſat Barclaius; quin potius affectata lenitate, & pro ingenio hæreſis ſtudio contranitendi. Tertium poſui, multis gentibus legem ejuſmodi fuiſſe uſitatam.

tam. Quod certe oſtendere perquam facile eſt. Nam *vetuſtiſſimi mortalium* (inquit Ta- Lib. 3. Annal.
citus) *nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna & coërctionibus agebant.* Poſtea vero corruptis moribus, pœnis & ſeveritate legum opus quidem fuit, ſed illas *veriſimile eſt* (inquit Diodoti concione Thuci- Lib. 3.
dides) *mitiores etiam contra maxima ſcelera, initio fuiſſe; donec, cum propter lenitatem contemnerentur, tandem ad mortem pleraque proceſſerunt.* Vnde & Plinius, dum inventores rerum longo ordine recenſet, *Primum judicium Ca-* Lib. 7. cap. 56.
pitis in Areopago actum eſſe, dixit. Et ante Draconis ſeveras ſanguinariaſque leges, puto Græcos, ut plurimum capitali ſupplicio abſtinuiſſe. Certe Romani valde abſtinuere, ut leges illæ ſacratæ, tum vero Porcia Semproniæque teſtantur: quibus prohibitum cuicunque Magiſtratui, civem verberare, multo minus ſecuri ferire, *tantumque* Salluſt. Catil.
exilium permiſſum in damnatos. Quod Cicero in Oratione pro domo ſua, *jus proprium dicit liberæ civitatis.* Reges quoque Ægyptios (auctor eſt Diodorus Siculus) damnaſſe

mortis reos, ad metalla aut aliud opus, ſalutari inſtituto. Et nunc in Italia, alibique, ad triremes paſſim condemnantur. Sed quod ad rem meam maxime facit, inter decreta Sancti Stephani Hungariæ Regis, caput 16 de homicidiis recenſetur, quod totum adſcribam. *Si quis accenſus ira,* (inquit) *ac ſuperbia elatus, ſpontaneum commiſerit homicidium; ſciat, ſe, ſecundum ſenatus noſtri decretum, centum & decem daturum auri penſas, ex quibus quinquaginta parentibus dentur, decem autem arbitris & mediatoribus condonentur: ipſe quidem homicida ſecundum inſtitutionem Canonum jejunet.* Quæ lex etſi multo lenior eſt noſtra, non intra mulctam tantum conſiſtit: tamen excuſari poteſt eo, quod profecto

Habentur ad finem Hiſtor. Vngariæ Bonfinii.

Τἀργύρειόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς

Pecunia, anima & ſanguis eſt mortalibus:

Et, ſi hæc ſufficiat ad cohibenda facinora, haud opus aſperioribus remediis erit. Ecce vero, tot gentium conſenſus abſolvit nos hoc barbaræ legis probro, quod hybrida Barclaius nobis impoſuit: oſtenditque, ut cum Lactantio dicam, *olim nefas viſum,*

Lib. 2.

quam-

quamvis malos, tamen homines, ſupplicio capitis afficere. Quod certe & rectæ rationi congruum conſonumque eſt. Nam ſeu ſeveritas neceſſaria eſt, magis illa exercetur, ac oſtenditur, viventium cruciatu: *Mors enim ærumnarum requies, cuncta mortalium mala diſſolvit.* Et, ut Seneca ait, *impunitatis genus eſt, jam non habere pœnæ locum:* Denique necem urgenti, reſponderi, cum altero Seneca, id eſt Tragico, poteſt.

Salluſt. Catil.

Seneca de Clem.

De fine pœnæ loqueris, ego pœnam volo.

Thieſte

Seu bonum communitatis ſpectas; *Nemo dubitat* (inquit Quinctilianus) *quin ſi nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo poſſint; ſicut poſſe interdum conceditur, ſalvos eos eſſe magis è Republica ſit, quam puniri.* Seu ad fines alios pœnæ reſpicis, jam dictum eſt, ad illos non requiri extrema ſupplicia. Et denique, ſi naturam humanam expendis, tot affectibus obnoxiam, & eorum impulſu, ac impetu, labi & abripi facilem: neceſſario ſuadebis mitiora, *& adhibendam moderationem* dices, *quæ ſanabilia ingenia diſtinguere à deploratis ſciat.* Sed cum Barclaius inſcitiam oſtendiſſet

Lib. ultimo Inſtit.

Seneca de Clem.

ſuam,

ſuam, improbando legem non certe barbaram, ſed humanam potius ac benignam, tum ſubjungit maligne cauſam ejus, ac dicit.

Nec tam vile (inquit) feciſſent humanæ vitæ pretium, niſi, ſui ingenii impetu, pro levi facinore haberent, humanum cruorem prodigere.

Solon interrogatus, cur in parricidam nullum aſſignaſſet ſupplicium, reſpondit, ſe noluiſſe pœnam ſceleri ponere, quod nun-
Pro Roſcio. quam ſperaſſet patrandum. *Sapienterque illum feciſſe*, Cicero ait, *cum de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur.* Et cum Spartanus quidam interrogaretur, quare Spartæ in adulteros nulla lex eſſet, nulla pœna. *Nullus*, inquit, *apud nos adulter eſt.* Vides igitur certiſſimum argumentum innocentiæ eſſe, legum paucitatem, & addo lenitatem: Bonoſque mores pœnis non egere, & *corruptiſſima Republ.* non *plurimas* ſolum, ſed atro-

atrociſſimas *etiam leges*: Cum nempe *flagrans flagitiis animus, non levioribus remediis reſtinguendus eſt, quam libidinibus ardeſcit.* Sed fruſtra; nam vitio ingenii humani certum eſt, ea ſæpius committi, quæ maxime vindicantur. Itaque in Italia, quamvis adeo non homicidia tantum, ſed arma etiam, id eſt, inſtrumenta necis vetentur, nullibi tamen frequentiores homicidæ, nullibi ſæviora latrocinia, nullibi crebræ magis, & ex inſidiis ſtructæ cædes. Gallia etiam, ſcimus, quam in caſſum prohibet ſuetas ſibi monomachias: Et cum Pariſiis eſſem, in tutum nemini noctu pedem domo efferre, ita omnes plateæ infeſtæ prædonibus, non modo ſpoliantibus, ſed trucidantibus etiam erant. Imputat igitur nobis, propria aliis nationibus crimina Barclaius, quorum liberabo Poloniam, vel hac unica, fida certe, & recentis memoriæ, narratione. Annis abhinc quindecem Varſaviam prope ſolennis electio Regis noſtri, nunc feliciter imperantis, peragebatur. Ingens omnino mole & gravitate negotiorum, majeſtate con-

 ſeſſus,

ſeſſus, numero civium, ſplendore vario, ac pompa gentis, legatorum denique nos undique adeuntium veneratione. Quæ omnia, ſi apud exteros eo apparatu geſta fuiſſent, neſcio quæ non habuiſſent elogia: ut eſt mos illorum, *qui de magnis majora loquuntur.* Peragebatur, inquam, iſta Electio, ad quam præcipui è Nobilitate, ſtipati more gentis frequentiſſimo comitatu, tota Polonia convenerant; ita ut numerus ducenta millia hominum facile ſuperaret. In tam numeroſo autem populi confluxu, nulli quamvis cuſtodes eſſent, nulli vigiles; urbs ipſa Varſavia nuſquam clauſa, & quocunque tempore noctis iis pervia, qui circumcirca caſtrorum more ſtativa habuere: adeo tamen ſecura & tranquilla erant omnia, ut vix quiſquam vi peremptus, quin ne ſpoliatus quidem diceretur; idque toto ſeſqui menſe, quo comitia illa durarunt: paciſque iſtius, ac quietis publicæ, unicum præſidium fuit, judicia huic fini inſtituta. Quæ res profecto, recte æſtimanti, non minus approbat inſontem Poloniam, ſceleriſque

que puram; quam arbor illa pomifera, metatione caſtrorum complexa, & intactis fructibus relicta, commendare ſolet Romani militis diſciplinam. Audiamus vero ultra nos celebrantem Barclaium.

Ipſum nomen (inquit) non tantum ſervitutis, ſed & juſti ac legitimi regni oderunt.

Verum eſt, nos odiſſe ſervitutem; Et quidni? peſtem illam naturæ humanæ, ejuſque corruptæ præcipuam labem, ſupremam fortunæ adverſæ calamitatem, pœnam ſuppliciumque extremum mortalis vitæ, & miſeriarum denique omnium malorumque fecundam genitricem? odimus pejus angue, & abominamur hoc generis humani opprobrium; amamus vero, &, ut par eſt, æſtimamus, illam, illam non dicam auream, ſed quæ omne pretium longe ſuperat; quæ animi præcipua dos, & beatæ vitæ compendium eſt, libertatem. Felices nos hac ſorte! beatam Patriam hoc Dei mu-

munere, & tanto beatiorem, quo rarum magis aliis populis decus iſtud, ignotumque bonum.

Nam quæ reviſas limina dulcius
Mavortiarum maxima gentium
Regina LIBERTAS *Polono*
Orbe magis Litaviſque campis?
O Providentis filia conſili!
O fauſtitatis mater & otii
Beata nutrix, ô Polonæ
Primus honor columenque gentis,
Quæſita multo ſanguine gloria,
Reperta multo! ———

Vt pulcherrime cecinit incomparabilis vates Sarbievius noſtras. Vivimus nempe ſecuri: violentiæ omnis metuſque expertes. Non miles ſpoliat, non publicanus atterit, non opprimit, non cogit ad onera Princeps. Delectus, tributa, lex majeſtatis *unicum*, ut ille ait, *crimen eorum, qui crimine vacant*. Tum delatores, genus hominum, publico exitio repertum, ſevera ſupplicia, carcer, proſcriptio, exilium, & denique indicta cauſa mors. omnia iſta ignota ſunt nobis,

nobis, pariter & inviſa. Accedimus ad Rempubl. cum lubet. Non adacti munera ſubimus, non ponimus ſine cauſa juſſi. Tutum eſt, privatum agere. vacat periculo, gerere Magiſtratum, *non opes, nobilitas, omiſſi geſtique honores pro crimine, non ſiniſtra erga eminentes interpretatio, nullum ex magna fama periculum, nullum ob virtutes exitium*. Ita beati agimus vitam, cui nihil addi poteſt ad cumulum fortunæ, niſi perpetuitas. Tali vero ſorte præditi, non tamen juſtum ac legitimum (quod impudenter Barclaius dicit) odimus Regnum. Nunquam fere eo caruit Polonia: quæ (dicam Cromeri noſtri verbis) *Vnius principatum ſemper, præter duo exigua tempora amplexa eſt, bonis plerumque & moderatis, & à tyrannide alienis uſa Principibus*. Hanc antiquiſſimam nempe, naturæ & rationi maxime congruam, uſus commodique maximi, formam regiminis pridem adoptavimus, & conſtanter hucuſque retinemus. Habemus inquam Regem, non tamen hæreditas illius, non patrimonium, ſed imperium ſumus. *Sedem ille Principis occupat, ne ſit* Domi-

Lib. 1. De Repub. Polona.

Plinius Paneg.

Domino locus. Ex legibus habet imperium, non in leges; civibuſque ſe datum arbitratur, non ſibi cives. Pulcherrima vero iſta & præſtantiſſima Reipubl. forma eſt, & quæ ſola maxime poteſt eſſe diuturna. Effatum enim Ariſtotelis de conſervatione Monarchiarum eſt, τῷ τὰς μὲν βασιλείας ἄγειν ἐπὶ τὸ μετριώτερον. *Vt regna nempe ad menſuram certam, & temperamentum reducantur.* Vnde Theopompus, cum Spartæ Ephoros inſtituit, quantum detraxiſſe poteſtati Regiæ, tantum ejus diuturnitati adjeciſſe, dicitur ab eodem Ariſtotele. Et nonne merito? certe ſumma illa poteſtas, quæ Dei imaginem in terris præfert, firma & ſtabilis eſſe nequit, ſi munus ſuum officiumque non adimplet. Id vero tum demum optime præſtabit, ſi ad Deum prototypon ſuum quam proxime acceſſerit. Porro, Deus ideo cuncta juſte regit ac gubernat, quia bonitatis ſanctitatiſque ſuæ præſcripto, quaſi lege aliqua adſtrictus tenetur. Lex enim, ut ita dicam, ei immutabilis voluntas eſt, recti & æqui exactiſſima regula, quam tranſgredi nul-

Lib. 5. Polit. cap. 11.

di nullo modo poteſt. Humana vero natura, cum corrupta & ad malum præceps ſit, non jam à propria voluntate legem hanc petere debet, ſed alterius, cujus nempe intereſt illam non aberrare, judicio ſcriptam ſancitamque, & ſuo aſſenſu receptam, ſervare tenetur. Ideoque leges poteſtatis velut cuſtodes natæ, quarum ſtandum eſt præſcripto. Quemadmodum autem Divinæ Majeſtati ac poteſtati nihil detrahit ἀδυναμία τοῦ ἁμαρτάνειν: Immo quia delinquere non potentiæ eſt, ſed infirmitatis, addit etiam, multumque naturam commendat; Ita & Regum non minuitur poteſtas legibus, quæ peccare tantum vetant, ſed potius firmatur ſtabiliturque. Vnde qui illas defugiunt, aperte vim Regni *peccandi licentia metiuntur.* Ideoque in odio ſint neceſſe eſt, & præſidium à vi, & terrore tyrannidi parare coguntur. *Ego vero* (cum Salluſtio) *cuncta ejuſmodi imperia, magis acerba, quam diuturna arbitror, neque quenquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat.* Sed ut pateat non nomine tantum & appellatione nobis

peccandi nulla facultas.

Velleius Paterc.

nobis Reges esse, & aliis Europæ Regibus potestate æquari, paucis illam edisseram. Scitum autem est illud, triplicia jura (nam Aristotelis partitio maxime perplacet) potestatis civilis & imperii esse. Primo consultationem de rebus quibuscunque & negotiis; deinde judicia sine provocatione; postremo, jus legendorum magistratuum. Ad hæc tria, tota regiminis ratio, & Reipublicæ administratio, commode potest revocari. Nam jus primum consultationis, seu ad pacis tempus pertinet; condendo leges, promulgando edicta, cudendo monetam, publica opera procurando: seu belli suscipiendi, gerendi, finiendique negotium sustinet; & tum utitur potestate delectus faciendi, sciscendi tributi, fœderum ineundorum. Ius alterum judicandi, aut publica peragit, majestatis, perduellionis, peculatus crimina; aut privatas decidit, juris & facti, causas. Tertium denique potestatem creandorum Magistratuum, largiendorum honorum, beneficiorumque continet. Reges itaque Poloniæ, prima duo jura,

Lib. 4. Polit. c. 4.

jura, conjunctim cum Senatu & Equestri ordine, habent. Tertium soli, sine participe aut socio, obtinent. Comitiorum nempe auctoritate, consultatio omnis peragitur; ita tamen, ut quicquid sancitum sit, nomine Regis promulgetur, & absque ejus assensu concludi nihil possit. & ipse supremus sit belli dux, atque Imperator. Iudiciorum partem sibi ipse retinuit, partem Tribunali concessit, non absimili Gallico Parlamento. At honores & beneficia cuncta, sacri profanique ordinis, largitur ipse ex arbitrio. Ingens vero hoc, & Principum præcipuum munus, tanto vero in Poloniæ regno amplius, ac splendidius, quo benefaciendi occasio, materiesque major est. Plurima sunt etenim, qua honoris & dignitatis, qua commodi maximi, beneficia; ita ut præfecturæ, quas Starostias vocamus, multæ, provinciarum ad instar, sint, totusque earum proventus, possessoribus obtingat, sed ad vitæ tempus tantum concessus, ut, demortuo præfecto, redeat sub arbitrium Regis, continuamque largiendi, ac

benefaciendi, occasionem præbeat. Hinc autem apparet, Reges nostros æqualem plerisque Regibus Europæis potestatem obtinere, alios vero etiam superare. Nam Germaniæ Rex, qui vulgo Imperator audit, tum Hungariæ, Bohemiæ, Daniæ, Sueciæ, Angliæ, bellum indicere, tributum sancire, leges ferre ac promulgare, absque comitiis nequeunt: nisi forte violato jure, & temeratis patriæ institutis. Et hac parte pares sunt Regibus nostris: tam ampla autem, nec circumscripta benefaciendi potestate, etiam multo inferiores. Duo tamen

Regnum summæ potestatis.

sunt regna, quæ nunc παμβασιλείαν præferunt (nam minutos illos tyranniones, quales Italia habet, δημοβόρους sciens omitto)

populivoros.

Gallicum inquam, Hispanicumque. Cæterum, dum utriusque primam constitutionem expendo, invenio, inprimis regnum Galliæ temperatum fuisse, auctoritate eorum, quos Pares vulgo vocant. Horum enim *tanta fuit olim auctoritas* (inquit Vincen-

Lib. 1.

tius Lupanus) *ut de rebus omnibus ad Rempubl. pertinentibus, ad eos referret Rex; penesque eos esset*

rerum summa, & æqualis prope cum Rege dignitas. Idem secundo libro. *Nostrates,* inquit, *de magnis, gravibus, & ad Rempublicam pertinentibus rebus, consultaturi, celeberrimum trium ordinum conventum, olim habebant: Nobilitatis, Sacerdotii, Plebis. Fuitque tempus, quo omnia ad illum referrentur; nempe, si de pace ineunda, bello inferendo, regni procuratione alicui mandanda, & vectigali exigendo, ageretur, quod, Philippo Valesio regnante, communi trium ordinum consensu sancitum est.* Claudius quoque Sesellius dicit, triplici freno, summam Regum Galliæ potestatem, coerceri; Religionis nempe, Iurisdictionis, & Politiæ: idque deducit, & explicat. Hispaniæ vero Imperium ex multis nuper coaluit regnis, & provinciis, quæ suas leges, ad cohibendam dominationem, habuere; &, nisi illis spoliata essent, certe Principatus potius, quam adeo solutæ legibus Monarchiæ, formam effecissent. Vis nempe, & oppressio, & quidquid strictus tuetur ensis, in causa est tam exlegis dominationis. Alioqui Asiatica tantum, regna ista fuere, olim & nunc, indefinitæ,

& nullis legibus circumscriptæ, potestatis. Europæis vero populis, ἄνομ@ δεσποτία, invisa semper, & ægre tolerata. *Servirent itaque Syria Asiaque, & suetus Regibus Oriens:* (dicebat olim, apud Tacitum, magnanimus ille, & vere Civilis.) at nos servitium pati non possumus, possumus vero Principatum, & Reges, qui *non dominationem, & servos, sed rectorem, & cives cogitarent.* Et nonne merito hanc imperii formam elegimus? Certe, si eadem apud alios obtineret, ista temere bellandi libido, ista concessa populorum latrocinia, istud, ut Seneca dicit, *occisarum gentium grande scelus,* cessaret facile; neque sub onere, & jugo, tot calamitatum, gemerent miserrimi populi, si absque assensu eorum bella non susciperentur, & immensæ cupiditati ambitionique Principum, aliquem obicem, leges ponere possent. Vti quidem, apud nos ponunt, salutari prorsus instituto. Non tamen ideo, ut tu Barclai, more tuo, seu ignarus erras, seu prudens fallis,

exlex dominatio.

Tacitus Hist. 4.

Tac. 12. Annal.

Rex

Rex ad patrias leges, vi & armis adigitur.

Quinimmo gratulor Patriæ meæ, tales Principes hactenus ei contigisse, qui non se supra leges esse, sed leges supra se rati, nihilque detrahi hinc majestati suæ merito reputantes, vi & armis ad observationem illarum nusquam fuerunt adigendi. Gratulorque iterum toto isto tempore, quo Polonia Regni nomine censetur, nisi semel temeritate paucorum mota in Principem arma, sed tumultuario impetu potius, quam justo bello; quod intra exiguum tempus, sine clade mutua, sine offensis, placide conquievit, nullo relicto mali fomite ac scintilla. Non sumus ergo Monarchomachi, quos pater Barclaii prolixo, nimiumque de fortuna Regum solicito, scripto oppugnavit. Immo quam simus φιλοβασίλειοι ostendit cujusdam regis nostri dictum, gloriantis, velut propria & non vulgari aliis laude, se insidiarum metu omni solutum posse in gremio subditorum tutum securumque

Regum amantes.

 som-

somnum capere. Et profecto benevolentiæ erga Principes publicæ, non alibi invenias majora certioraque argumenta. Quid majus, quam cum nobis, non, *ut cæteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus* sit, nec intra illam quærere Reges, nec tanquam necessario hærede contentos esse oporteat: Cum, inquam, *imperaturum omnibus, eligere* possimus *ex omnibus*; tanta tamen veneratio & amor erga sanguinem regium hactenus semper fuit, ut illum suffragiis & electione præterire pæne nefas putaremus. Immo etiam intra claustri Monastici septa inquisivimus stirpem regiam; & cum deesset proles mascula, non alia lege Valesio, & post Battorio sceptrum detulimus, quam ut in consortium ejus ultimam Iagellonidem assumeret. Et denique illa potissimum ratio majores nostros impulit ad cooptationem domus Suedicæ, nunc feliciter nobis imperantis, quod nempe materno sanguine Iagellonica esset. Vt vero omittam, quæ plurima adferre possem, Principibus exhibita testimonia gratæ & amantis

Tac. 1. Hist.

Plinius Paneg.

tis Patriæ: certe rarum est & illustre istud, quod nuper post excessum Sigismundi III præcipua Nobilitas toto interregni tempore, lugubri & pulla veste usa sit. Ita ut dum isto habitu, tot millium consessum, in Comitiis Electionis, vidissent gentium exterarum legati, stupuerint ad tantum vel venerationis, vel amoris erga Reges indicium in populo præsertim libero, & nullius hæreditati subjecto. Et ne finem faciam proni hujus erga Principes affectus ac inclinationis nostræ, facit tuum, Rex serenissime, (nam te hoc loco merito alloquar) tuum, inquam, imperium; quo huic & futuro seculo, ut tranquilli, benigni, moderatique regiminis præbetur exemplum, ita à nobis prompti obsequii & publicæ in te benevolentiæ rarum statuitur documentum. Non perdis, inquam, ô benigne Princeps, operam, dum ita cum civibus tuis, tanquam parens cum liberis vivis. Refertur tibi gratia, & quo te antequam imperares amore omnes sunt prosequuti, eodem in imperio prosequuntur; Quem tamen

tamen per ſingula ſigna, & argumenta, non opus eſt recenſere : Cum & tibi conſtet omnium memoria, & nos jactare velut magna non deceat, cum longe majora merearis. Satis eſt, quod iſto tuo, noſtroque exemplo, potiſſimum comprobetur, à nullis *magis Principem amari, quam qui maxime dominum gravantur.* Et cum vere Thales dixerit, inter rariſſima quæ videntur, eſſe Τύραννον γέροντα : Ita nihil frequentius, quam amorem civium, erga bonos benignoſque Principes: *neque mirum, eos etiam ultra privatas neceſſitudines amari*, quia in illis, noſtram vitam, noſtram incolumitatem amamus. Vnde cum illi nos tributis & exactionibus, & mille injuriis non opprimant; nos illis non inſidiamur, non ſeditiones molimur, non rebelliones concitamus: quorum exempla, ſi unquam, certe his temporibus, omnibus fere Regnis, adeo crebra ac funeſta ſunt, ut pudor ſit, & unicum dedecus ſeculi noſtri, nominiſque Chriſtiani maximum opprobrium. Certe & Gallia vixdum requievit, à continuis factionibus tumultuantium

Plinius Paneg.

Plutar. in ſeptem Sap. Conviv. Tyrannum ſenem.

Seneca de Clem.

aut

aut belligerantium Principum. Hiſpaniæ imperium ardet ubique civilibus armis; & vel maxime tua, ô Barclai, Britannia Symplegadum more colliditur, cum tot furias faceſque belli inteſtini nuper accendit : tamque longo, tam cruento diſſidio evertit imperium, & Regem omni jure ac poteſtate ſpoliavit. Maxime autem populares tui Scoti, qui Principem, ſe ultro illis permittentem, ſcelere turpiſſimo ac perfidia, poſt longam licitationem, vendidere Anglis, poſtquam multis injuriis & contumeliis prius captivum affecerunt. Quamvis iſtud profecto non ſine magna vindicis juſtitiæ admiratione. Vt qui delatum populi arbitrio Eccleſiæ dominium, tam avide arripuerunt, illi ab eodem exuti omni poteſtate, in-poſterum precario reges ſint, aut ne ſint quidem, fruſtra Caſaubono Schiſma Anglicanum defendente, dum in argumentum divinæ voluntatis, factum velut approbantis, dicit (in Epiſtola multifariam falſa ad Frontonem Ducæum Soc. IESV:) *Nam* ὐκ ἀθεεὶ (inquit) *mutatio-* Non ſine Deo.

O *nem*

nem hanc Anglicanam esse factam, longa pax secuta, quies publica, inaudita felicitas, primo Reginæ Elisabethæ, deinde Regis Iacobi, videntur probare. Malacia nempe & Halcedonia brevis ista fuit, his temporibus datura, quas videmus, tempestates. Cum caput Ecclesiæ male constitutum; alii adigunt ad assensum impiorum dogmatum, quæ suo arbitrio condidere: alii nullum regimen, & infinitam volunt, credendi quod velis, licentiam. Vtraque vero ratione, quam male tranquillitati ejus regni consultum erit, tempus ostendet. Sed ad cœptam Apologiam redeo.

Nobilitas (subdit) tristibus prærogativis se ipsa donavit, quibus possit sibi invicem, & impune nocere.

Cum multitudo coalescere in unius populi corpus, nulla re quam legibus possit: Cum ne latrones quidem sine justitia sociari posse, merito dixerit Cicero. Barclaii tamen tanta amentia & stupor est, ut populum gentemque

sine jure dicat vivere. Nam, dum impunitatem scelerum, & nocendi licentiam nobis imponit, quid aliud nos, nisi ἀδίκως facit? Tanta vero vel inscitia, vel malignitas seipsam satis prodit, & refelli non indiget. Cum præsertim, quæ argumento huic vicina de nobis dixi, satis superque falsi condemnent repetitam hanc calumniam. Addit vero:

Quippe Principi non satis juris est, ut, quod peccaverint, ipse vindicet.

Ex sententia Lycurgi dixit alibi Cicero. *Præmio & pœna Rempublicam contineri.* Omnino vere. Nisi quod virtutis studium, commodi specie excitare satius putem, quam metu extorquere. Nam & facilis æstimatio est, quanto potiora sint, sponte suscepta, quam terrore expressa officia; Et manifestum, quod præmia bene agere stimulent; pœnæ vero jubeant tantum, non peccare. Non satis autem, non delinquere, si & bene mereri non studeas. Ideoque insti-

Epist. ad Brutum.

tuto patriæ, Principibus nostris, permissum magis *beneficiis, quam remediis, experiri ingenia nostra*; quia sufficere ad innocentiam, virtutemque putavimus, *si prosit bonos esse, cum etiam sit satis abundeque, si non noceat*. Accendunt itaque potius voluntates nostras, quam adigunt. Beneficentia, illicium incitamentumque præbent virtutis; præmia ipsi largiuntur, pœnas vero ad leges & magistratus transmittunt: Et denique ea potissimum parte ostendunt potentiam suam, qua proxime ad Deum accedunt, cui prodesse, non voluntatis tantum est, sed naturæ. Hoc est utile, hoc civile imperium. Nam & *Regibus certior est ex mansuetudine securitas*: Et subditi tutiores sunt, constricto non nihil cohibitoque imperantium ferro. *Principum enim sævitia, bellum est*, inquit Seneca. Et scimus quantas illa sæpe strages civium ediderit, quid lex illa Majestatis, tam severe, tam acerbe exercita, intulerit Reipubl. Romanæ: quam levi, quam indigna, quam iniqua causa, illustrium virorum supplicia memorentur. Scimus vero etiam, quam

Plinius Paneg. — *Idem.* — *Seneca de Clem.* — *Seneca de Clem.*

quam crebra sint apud exteros: Vbi eminentiorum papaverum capita decutiuntur semper, ubi non unus Aratus, Silanus aut Sejanus vel neci deditur, vel carceri includitur. Nec inquirendum,

—— quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis? quo teste probavit?
Nil horum. Verbosa & grandis epistola venit
A Capreis. ——

Iuvenal. sat. 10.

Terrent nos profecto hæc exempla, & ab illis merito cavemus. Solenni illa legis nostræ regula, *Neminem captivandi nisi jure victum*. Etsi vero temperamentum istud severitati nimiæ ponit obicem, nihilum tamen officit justitiæ, neque detraxit quidquam auctoritati Principum; quibus potissimum judicium de capite civium committitur; quod cum Senatu quidem peragunt, sed decernere tamen solent, magis expendendo, quam numerando sententias. Quod certe ostendit, satis esse juris Principibus ad vindicanda scelera, contra quam Barclaius sueta imperitia dixit.

Maxime ſibi (inquit) credunt.

Hic quid oppugnem neſcio, nec quo ſenſu iſta dicantur agnoſco. *Mihi ego video, mihi ego ſapio, mihi ego credo plurimum;* ait apud Comicum oculatus teſtis. Oculis enim ſuis quiſque credit maxime. Et alioqui pauci ſunt profecto, qui ſuo diffidant judicio. Certe non tu ex iis Barclai, cujus confidentia vel hoc ſcripto apparet, cum imperite, audacter tamen ἀλαζονικῶς ϗ θρασέως dixiſti multa. Cæterum, ſi nobis potiſſimum credimus, id eſt, popularibus, conterraneis, & notis hominibus, hoc ſenſu certe extra culpam ſumus. Nam externis quidem & ignotis plus credere, ſtultitia eſſet. Et *vafer ille Siculus inſuſurrat, Epicharmus Cantilenam illam ſuam* νῆφε, ϗ μέμνασο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Ergo Scotis diffidimus, utpote lucelli avidis captatoribus, meritoque putamus fidem etiam in quæſtu iis eſſe. Sed non immoror, & propero, ut vindicem Patriam ab infami calumnia, quam per impudentiam maximam inuſſit Barclaius.

Plaut. Pſeud.

Superbe & arroganter.

Cicero ad Att. Epiſt. 18. *lib.* 1. Vigila, & memento diffidere; artus ſunt iſti mentium.

Nec

Nec minor (inquit) libido eſt libertatis in moribus, vitaque incivili, quam in religionum, & cæleſtium rerum ſenſu; de quibus, ut placet, & ſentire volunt, & loqui: ſcilicet immani fiducia ſui, quibus ſapere alieno ductu pudet. Hinc in diverſa hodie ſciſſæ mentes, errorumque omnium labes, quicunque antiqua ſecula polluerunt.

Qui hactenus nulla laude dignatus eſt Poloniam, immo omni complevit vituperio, gentemque noſtram fecit,

——— *Monſtrum nulla virtute redemptum*
A vitiis ———

Juvenal.

Quid miri, ſi reliqua pari affectu ſubjungit? Hoc nempe deerat contumeliæ, ut quibus paulo ante juſtitiam eripuit, eos nunc religione ſpoliaret. Verum ut falſitatem ejus omnem hactenus revici, ita & hanc refellere in promptu eſt. Omnia namque

que potius eripi patiar Poloniæ, præterquam veram ac germanam pietatem. Immo firmiter & fidenter assevero, inter omnes Europæ populos, quos hæreseos afflavit contagio, nullam esse præ nostra gentem, quæ Catholicæ religioni constantius adhæserit, nullam quæ cultus Divini, pietatisque publicæ, antiquam & à majoribus acceptam rationem, majori studio & ardore, hucusque profiteatur. Denique nullam, quæ majori prudentia, moderatione, innocentia, in hac seculi præsentis hæresibus infecti calamitate versata sit; & quæ, in religione turbata, immotam pacem; in dissensu animorum, consensum civium; inter inquieta novis rebus ingenia, publicam tranquillitatem conservavit: Eo quidem successu, quem nunc, Regno maxima parte avitæ fidei restituto, læti contuemur. Sed ut id ostendam, (nam profecto meretur res tanta uberius referri) inprimis nullam apud nos hæresim natam dico. Peregre venit hoc malum, & incunabula ei primum Germania dedit; deinde illa vere *nutricula*

tricula non solum, ut olim Poëta dixit, *Causidicorum*, sed hæreticorum etiam *Gallia*. Ab exteris nempe, à quibus semper aliquid monstri hausimus, hoc venenum. Cui temporibus illis majores nostri præsentissimum remedium opposuere: occluso nempe omni aditu novis doctrinis, & pœna constituta in eos, qui illas discerent, adferrent, seminarent. Nam inprimis, Vladislao Iagellone, anno M CD XXIV, cum nempe in Bohemia nova dogmata pullularent, acribus pœnis hæresis prohibita, confiscatione bonorum, imminutione capitis, & quod sequitur, in captos & pertinaces, capitali supplicio: *Vt nempe* (legis expressa verba) *quos censura Ecclesiæ non terreret, humana severitate multarentur*. Paulo post eadem edicta repetita, & sub Sigismundo primo, anno M D XLIV, peregrinatio quidem, quæ ante huic fini vetabatur, concessa; sed pœnis & judicio subjacere jussus, si quis *rediens* (verba item legis) *qualescunque novas doctrinas aut libros subministraret, & uti illis vellet*. Sigismundi Augusti temporibus, cum jam

vicina nobis Germania arsisset hoc incendio, non mirum est, proximum parietem correptum fuisse eadem flamma, quam restinguere non erat tum virium nostrarum. Serpsit malum per totum Reipubl. corpus, legumque auxilio cohiberi non potuit. Itaque post mortem Augusti, interregni tempore, in Conventu publico, cauta dissidentibus securitas. Et Rex Henricus Valesius, eumque secuti Reges omnes juravere, *pacem & tranquillitatem inter dissidentes de Religione tueri, nec ullo modo quempiam pœnis, in causa religionis, afficere*. Moderatione nempe ista utendum erat, ne remedia exasperarent malum, cui tollendo impares eramus. Sed tamen jura Ecclesiæ illæsa mansere; honorque sacerdotii, à majoribus nostris ad procurationem Reipubl. admissi, nihilo est imminutus. Neque quicquam decessit Religioni Catholicæ, quæ ab ipso initio Christiani apud nos nominis, tot legibus fundata, & velut jam materfamilias facta, à nova hac, & nuper adventitia hospite, nullo modo potuit premi, nedum veteri possessione

sessione

sessione exturbari. Tolerantia nempe hac consultum tantum est, ut inter cives pax & quies esset; non turbæ, non seditiones, non mutuæ cædes, non internecina bella, quæ totam Europam hucusque exercent, & misere conficiunt. Cum autem cessarent publica ista odii irritamenta, facile rediit animus, concordiæ cupidus, & dissidiorum religionis pertæsus: puduitque, cum quibus Patria, sanguine, amicitia, moribus, lege, imperio, conjunctus sis, disjungi opinione, de Deo & Divinis, & se mutuo, velut impios aversari. Hinc temperato sectæ studio, semoto, qui præcipitare solet ingenia, affectu, expensum quæ causæ Schismatis? quis ille animus, quæ mens primam fidem erroris accusans ac condemnans? unde potestas ista separati cætus, & novæ Ecclesiæ instituendæ? quid in pertinaci hoc dissensu, non præceps, non malignum, non virulentum? Tum deinde quæsiere multi, quænam illa fuisset religio, qua primum majores nostri in Christianismo instituti? Postquam vero hanc fuisse, quæ

 nunc

nunc à novitiis iſtis impugnatur, hiſtoriæ, legum, actorum publicorum, totiuſque antiquitatis teſtimonio, agnitum compertumque eſt; tum detecta novitas, & facile ſpreta; plurimique reſipuere, & derelictam repetiere veritatem. Reſtituta igitur templa, cultuſque in illis Divinus, Catholica pietas aucta, & hæreſis maxima parte abdicata. Spes porro manet non vana, redituram & reliquis mentem, & *unam fidem, unum baptiſma*, indiviſamque Eccleſiam fore, modo perſiſtat Polonia in fraterna iſta quiete ac concordia. Et certe nuper Rex noſter, ad tollendum religionis diſſidium, celeberrimum conventum Torunii indixerat; id decere exiſtimans felicitatem temporum, qua, illo imperante, Polonia fruitur; ut quemadmodum domitis hoſtibus, pax eſt patriæ reſtituta, ita quoque mentium animorumque eſſet, uno ore, una lege, ac præſcripto, Deum venerantium. Quamvis vero votis optimi Principis, & expectationi multorum eventus non reſponderit; tamen cum ego, nobilitatis noſtræ pacata inge-

ingenia, dum exoletam prope hæreſim, dum ſtudia quiete & mora multum temperata expendo, negotium hoc ſucceſſurum nequeo deſperare; ſi ab illo, quantum poteſt, arcerentur illi, quibus vel fovere expedit, vel certe non eſt integrum, ſchiſma relinquere. Tales autem ſunt Miniſtri, & Civitatum delegati: dum illi commodi, exiſtimationis, ſacerdotiique retinendi; hi vero mutationis, & turbarum metu, tueri ac defendere malunt qualemcunque modo jam communem & receptam fidei rationem. Optandum igitur eſſet, iterum hoc negotium redire ac repeti; ſemotis quantum fieri poteſt iſtis, auctoritate Principis; ſedulaque magis cura, cum primoribus Nobilitatis tranſigendum. Neque profecto cauſam video, cur amoveri non debeant, aut Miniſtri, adeo ſtudio litigandi infecti, penes quos nulla eſt poteſtas decernendi, quomodo intelligendæ ſint ſcripturæ; aut Civitates, quas, & difficile eſt ad conſenſum revocare, & indignum, tanquam æqualis cum nobilibus juris, ad

P 3 unum

unum conventum vocari. Sed hæc Deo permittenda. Nunc vero, ut isto intervallo ad Barclaium redeam, facile, ex his quæ dixi, apparet, quam inique nos impietatis accuset, & irreligionis; quantoque verius ista, quæ nobis imponit, de aliis Europæ populis, & vel maxime de Britannia, id est, Anglia & Scotia dicerentur. Scotia, inquam, ubi vere mentium σκοτία est, & spissa caligo, ubi ἀκαθαρσία catarorum, & purissima illa impuritas regnat: ubi vix ullum vestigium Christianæ pietatis, & profanata ac eversa religio omnis vetus: nova vero *in diversa*, ut dicit Barclaius, *scissas mentes* ad publicam discordiam agit præcipites, &

tenebræ.
impuritas.

Ad arma cessantes, ad arma
Concitat, imperiumque frangit.

Horat. lib. 1. Ode 35.

Sed pauca, quæ adhuc restant, pari affectu de nobis à Barclaio dicta, expendamus.

Quisque (inquit) in suæ familiæ laudem intentus est, præsertim si in externos incidit, & expertes suarum fortunarum. Certe

Certe propriam familiam ornare omni laude, nec contentum esse relicta à majoribus gloria, id demum est generosum esse. Neque puto tam amens fuit Barclaius, ut hoc in vitio poneret. Potius ostentationem in nobis accusat & damnat: *Quod si quid subinane, & non* ἀφιλόδοξον; si, inquam, aliqua jactantia est, profecto non de nihilo est; neque similis illi Scotorum, se passim regia stirpe ortos dicentium; tam vere utique, quam Pallas, aut nescio quis ille Claudii libertus, regibus Arcadiæ oriundus erat. Et cum nemo eorum dignum quidpiam ea, quam fingit fortuna, præferat; omniumque rerum inops, & sæpe mendicus sit; *majore cachinno excipitur vulgi*, quam ille inopinatus Stoicorum Rex irridetur à Plutarcho: qui cum magnifice dixisset * Ἐγὼ μόνος εἰμὶ βασιλεύς; mox, egestate sortis suæ admonitus, philosophaster misellus chlamydem poscit, & integumentum; dicitque † γαῤῥιγῶ καὶ βαμβαλίζω. Sed, hac occasione, lubet pauca de familiarum laude attexere. Et primo Nobilitatis nostræ decora

Cicero ad Att. lib. 2. Epist. 17.
inappetens gloriæ.
Iuvenal.
In libello contra Stoicos magis inopinato quam Poëtas divites.
* Ego solus Rex sum.
† Nam ex frigore contremisco.

cora & ornamenta, deinde opes, postremo splendorem referre. Quæ etsi mira forsan exteris videbuntur, non opus tamen judico, anxia veritatis pollicitatione fidem stipulari: Cum in re inquiri & nosci tam facili, & in hac luce temporis, nullus possit esse mendacio locus; cujus usu cum natura ac consuetudine mea prohibeor, tum Patriæ etiam causa: Non minus enim illa falsa prædicatione, quam aperto vituperio læderetur.

Natalium itaque honor apud nos eximius est, & plerisque gentibus antecellit, plures ob causas. Prima est, quia avita nobilitas, & ab ipsa gentis nostræ origine cæpta, sola successione continuatur. Nullum jus adoptionis habemus; Nobilitatis prærogativa ægre plebeiis hominibus confertur; & externæ, illustres quamvis familiæ, difficulter admodum ad jura gentis admittuntur: consensu nempe unanimi omnium ordinum, qui nisi magnis meritis obtinetur. Suetonius dicit, Augustum *magni existimasse, sincerum atque ab omni colluvione peregrini*

regrini ac servilis sanguinis, incorruptum servare populum, ideoque civitatem Romanam parcissime dedisse. Sequitur plane hac parte maximi Principis judicium Patria nostra; ideoque veterem conservat nobilitatem, supra aliorum populorum morem, ubi solo arbitrio Regum, homines vilissima sæpe origine, & terræ filii, ad nobilitatis decus extolluntur: ubi (ut Satyricus dixit) *una Quiritem vertigo facit*, & prout complacuit hero Persius sat. 5.

——— *Momento turbinis exit*

Marcus Dama. ———

Vbi denique exteri consulto accersuntur, ad supremas dignitates evehuntur, ut graves nempe sint patritiæ Nobilitati. Apud nos vero (dicam Plinii verbis) *Nobilitas non obscuratur, sed illustratur à Principe; & magnorum virorum Nepotes ac posteros, nec terret ipse, nec pavet, quinimmo honoribus amplificat, atque auget, & in usum Reipublicæ promit.* Plinius Paneg. Altera causa est, quod nothos & spurios nec ad familiæ nomen, nec ad hereditatis sortem admittamus. Aliter quam apud exteros, ubi fere extra probrum est, taliter nasci. Et rege

præsertim, quamvis extra matrimonii legem, sati, adeo non velant hoc dedecus, ut etiam jactent, præferuntque insignia parentum, levi signo addito, id est, linea transversim ducta: At *Fortuna non mutat genus.* Et quantumvis amplæ opes ac dignitas, emaculare certe nequit hanc turpem notam. Vnde nos merito abhorremus, & abominamur flagitia ista tori: adeo quidem, ut si quis concubinam duxerit, prolemque post initum matrimonium susceperit, non spuria illa quidem, sed ignobilis tamen censetur; & hereditatem adire nullo modo potest. Hac ratione consulitur honori intaminato familiarum, quæ vetustissimæ sunt nobis, & omni laude ac dignitate splendidæ. Tertia causa possit assignari, quod titulorum nominumque discrimina illa, quæ antiquis ignota, nunc apud exteros passim obtinent, non habemus, & nupera lege usurpare prohibemur. Non Duces, inquam, Marchiones, Comites, Barones, & ejusmodi cognominum quisquilias, fatiscente imperio Romano, id est, ipsa tempo-

Horat. lib. Epod. 4.

temporum barbarie ortas: Quæ si ultro ab externis Principibus delata quidam acceptavere, aut non sprevere potius, non tamen ordinem in Republ. faciunt separatum, nec ultra equestrem honorem, ultra claritudinem generis ac splendorem majorum quidquam eis aut juris, aut dignitatis accedit. Dignitas enim omnis à Magistratibus, muneribus, officiisque publicis manat; & inter vere nobiles, honor natalium per se indistinctus est; magno ubique æqualitatis libertatisque præsidio. Certe & apud Romanos jus imaginum, & patritiorum honor, non aliunde quam à Magistratibus fuit: Consulatu nempe, Censura, Prætura, Ædilitate. Isque ad posteros sola successione derivabatur, & non amitti, non adimi poterat. Quid hoc vero, inquies, veræ generis claritudini aut vetustati officit? officit certe plurimum: Titulis enim istis, quibus apud exteros honor familiarum constat. non personæ, sed possessiones & patrimonia, stultissima prorsus ratione, insigniuntur. Ita ut Illustri quamvis sangui-

 ne, ac

ne, ac ſtirpe creti, niſi hæredes ſint & ſucceſſores bonorum, amittant titulos parentum, qui ad emptores vili ſæpe origine homines, una cum patrimoniis tranſeunt. Et ita honor olim virtuti datus, & illi ſoli debitus, cedit pecuniæ quocunque quæſtu comparatæ. Illa & genus & ſplendorem confert, & efficit, ut ſolo cenſu tota nobilitas conſtet. Ideoque merito ſuſpecta eſt, & non æquiparanda nobis, qui inempto & gentilitio honore gaudemus. Apud Romanos olim quam aliter! Certe ſi imagines
Plinius Lib. 35. in atriis collocatæ, id eſt, *expreſſi cera vultus majorum, cum affixis hoſtium ſpoliis, & rerum geſtarum titulis monumentiſque* una cum domo ad emptorem tranſirent, non tamen in gloriam aut decus emptoris cedebant: quin-
Ibidem. imo *erat hæc* (inquit Plinius) *ſtimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum*. Hæc ratio deberet quoque apud exteros obtinere, ne aut clariſſimorum virorum poſteritas, parto à parentibus ſplendore excideret, aut novi homines in eorum decora & inſignia titulo-

titulorum irreperent. Cæterum antequam hoc de nobilitate finio, leve quamvis, dicendum eſt tamen (nam id ſæpe exteri mirantur) quare nempe omnes videamur eſſe cognomines, communi illa in ski nominum terminatione. Obiter igitur cauſam accipe: quia nempe patronymica & poſſeſſiva apud nos ita fere deſinunt. Vnde exempli cauſa Hiſpanicus nobis eſt Hiſzpanski, Polonicus Polski, ſic Tenczynius, (quod nomen celeberrimæ apud nos fuit familiæ) Tenczynski, &c.

Opulentiam familiarum dum referam, nominibus earum abſtinebo. Nam ſingulas recenſere longum nimis operoſumque eſſet: paucas excerpere, invidiæ ac offenſæ obnoxium. Hoc vere in univerſum affirmo, non eſſe præ noſtra gentem, quæ propius ad magnitudinem illam opum Romanarum accedat, æmuletur, & in multis æquet. Poſſeſſiones & latifundia agrorum, non dicam, cum Perſio, privatis hominibus tanta eſſe, *quantum non milvus oberret*; ſed quæ multorum ſui juris & poteſtatis in

Europa principum ditiones longe multumque superent. Magna illa sunt, & vere admiranda, quæ Lipsius, testimonio veterum, de privatis Romanorum opibus dixit. Et præcipue dum Senecam adducit, Romanorum avaritiam insectantem ac dicentem: *Ager uni domino, qui populum cepit, angustus est? Quousque arationes vestras porrigetis, ne provinciarum quidem satione contenti, circumscribere prædiorum modum? Illustrium fluminum per privatum decursus, & amnes magni magnarumque gentium termini, usque ad ostium à fonte, vestri sunt. Hoc quoque parum est, nisi latifundiis vestris maria cinxistis; nisi trans Hadrianum, & Ionium, & Ægeum vester villicus regnat: Nisi insulæ, ducum domicilia magnorum, inter vilissima rerum numerentur.* Magna, inquam, ista, & tanti imperii amplitudine digna, illique soli propria. Polonia non tam late regnat, ideoque nec mirum, si etiam privati angustius possideant. Attamen multorum avita patrimonia tam ampla sunt, ut si sparsæ per varias regni partes possessiones jungerentur, facile provincias viginti, immo & trigin-

Epist. 89.

triginta milliariorum (quæ nobis ejusdem sunt cum Germania mensuræ,) efficerent. Novi multos, qui centum, ducentos, trecentos, & amplius pagos, oppida viginti, immo & triginta possident. Sunt non pauci, qui, è ditionibus propriis, mille pedites, equites item mille levis armaturæ, quos Kosakos & dragones vocamus; immo sunt, qui tria, quatuor millia possunt educere: Inter quos partitus est ager, ut modico addito stipendio ad omnem nutum heri militent. Quo ipso certe ad eam mensuram divitiarum valde accedimus, quam Crassus definivit; qui (ut Plinius dicit) *negabat locupletem esse, nisi qui reditu annuo tueri legionem posset.* Reditus vero ipsi ex tam amplis possessionibus maximi sunt, sed non tam pecunia æstimandi (quanquam & ista abunde suppetit) quam copia & affluentia omnis annonæ, omniumque rerum. Immensa quippe illa est, & si eo pretio væniret, eaque parsimonia absumeretur, qua apud exteros, certe facile illos, qui antonomastice olim divites vocabantur, quos Plinius recenset

Lib. 33. cap. 10.

censet lib.33. cap. 10. facile, inquam, æquaremus. Paucis quædam libabo. Messes, quas nos sexagenis manipulis solemus computare, tam abundantes, tamque opimæ sunt, ut siliginis & tritici ex autumnali satu, multi decem, non pauci viginti millia, immo quidam & multo amplius sexagenarum (liceat mihi sic substantive efferre,) demetant. Tantundem vero ex verna satione hordei, avenæ, & omnis generis frugum. Sexagena vero triturata duos fere medimnos exhibet; quibus si pensio frumenti, quam coloni annuatim multis in locis magno numero pendunt, addatur, facile inde proventus ingens poterit æstimari. Quid dicam de aliis commodis, quæ res rustica & agricultio suppeditat? quid de variis pecoris numero ac emolumento? Cum in majori Polonia, ubi res pecuaria viget maxime, triginta ovium millia quidam suis in prædiis hyemaverit? In Russia vero, quot armenta boum? Moris est, septennio quovis redeunte, decumam partem à subditis omnis jumenti ac pecoris

exige-

exigere. Et compertum habeo, quendam decem millia boum exdecimasse. Sed cum nimis longa hæc expectatio proventus videretur, illum ita divisisse bona, ut in singulos annos plus mille acciperet. Plures autem sunt, qui, si eadem ratio placeret, non quidem tanto numero, sed tamen quotannis quingentos, sexcentos, & amplius habere possent. Piscinas non prætereo, è quibus uberrimus quoque petitur proventus. Earum rationem veteribus ignotam descripsit eleganter & accurate Ianus Dubravius Olomunicensis Episcopus. Quanquam non tanta, ut ipse dixit, cura aut impendio res egeat, præsertim in Russia. Non enim ibi *in seminaria attritus & genituræ causa pisces imponuntur, non tenelli fœtus inde petuntur, non piscinæ in tres classes divisæ*, prout ista omnia exacte prorsus requirit Dubravius. Sed rivi suapte piscosi aggere retinentur, donec ad certam mensuram spatiumque sæpe maximum, & ad integrum aliquando milliare Germanicum stagnaverint. Ita vero per triennium aquæ detentæ, per emissaria

siccan-

ſiccantur, ingentique piſcium numero poſſeſſores beant. Qui etſi vili pretio venduntur, tamen ſæpe decem, quindecem, immo uſque ad triginta millia florenorum una è piſcina reditus adferunt. Mellis proventum jam antea retuli, quem ſolum agnovit Barclaius. Commoda item, quæ petuntur è ſylvis, & alia, quibus non lubet immorari. Finio itaque hanc ſtrictam de opulentia noſtra narrationem. Et vere teſtor, me conſulto ubique minora vero dixiſſe. Nam credi ſibi volenti, non modo falſa ſemper vitanda ſunt, ſed etiam ſæpe nimis mira reticenda; Quia

Ovidius Epiſt. 16. *Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides.*

Eadem cautela utar, dum narrabo ſplendorem, aut luxum potius, gentis noſtræ. In quo utinam non tam vera eſſent, non tam magna, tamque modum egreſſa omnem, quam hæc ſunt, quæ referam. Certe mallem, ut veram laudem continentiæ potius & frugalitatis, quam vanam hanc pompæ ac profuſionis quæreret & mereretur patria noſtra. Attamen ut purgem illam

illam mendacii notam, quam imponit Barclaius, oſtendamque non falſa à nobis narrari *exteris & expertibus noſtrarum fortunarum,* ſed potius, quia nos ſuis opibus moribuſque metiuntur, ægre forſan illis credenda; Dico inprimis, familiam nos alere ſupra omnium gentium conſuetudinem numeroſam, ſplendidam, per varia genera, officia, miniſteria diſtinctam. Modus & ratio ejus apud Magnates eſt fere iſte. Aulicos habent, ſeu honoratiores quoſdam famulos, genere nobiles, ætate maturos, moribus graves, rerum peritia aut militaribus ſtudiis inſignes. Horum quilibet fere ad rhedam eleganter ornatam, ſex equos concolores impenſis Domini alit; equum præterea, more gentis, phaleratum; tum neceſſe eſt tres quatuorve habeat miniſtros; & præterea, dum ſejugibus vehitur, aurigas binos, atque agaſones. Aulici iſti in itinere lecticam domini cum rhedis ſuis, in urbe vero equitando, præcedunt egregia pompa, & ſemper anteambulones & deductores ſunt. Mundities vero illis

exacta & sumptuosa. vestis serica in promiscuo usu, immo frequens etiam auro texta. Arma argento culta, & phaleræ, & omnia denique eleganti ac splendido ornatu conspicua. Salaria ampla habent, præter id, quod in victum & sustentationem eorum cum ministris & equis impenditur. alii quingentos taleros annuos accipiunt, alii usque ad mille; quidam ultra annuam pensionem prædia singula, immo sæpe aliquot villas tenent, gratuito sibi concessas. Numerus talium sæpe ad viginti accedit, continuo aulæ adhærentium. Nam qui per intervalla, & jussi tantum ac vocati famulantur, illi certe quinquagenarium numerum excedunt, omnesque certis & constitutis pensionibus pacti sunt & obstricti. Aliud genus famulitii est, quos stipatores vocare liceat, nos vocamus, Komornikos; Lecta nempe juventus, quæ binis aut ternis aliquando equis meret: omnes item genere nobiles; & ab aulicis ætate tantum dispares, alioqui munditie atque cultu non multum dissimiles. Viginti, tri-

ti, triginta aliquando & ultra habentur. His accedunt adolescentes, qui à cubiculo sunt, & qui penitiora circa herum obeunt officia. Et hæc nobilium est manus. Sequitur alia turba famularis. Musici inprimis magno numero variique generis. Scio qui in solos symphoniacos Italos annuatim impendebat quinque, sex millia talerorum, præter mensam, quam illis præbebat. Iam vero structores mensæ, promoscondos, coquos, & plurimos item officiales aulæ, qui tot laboribus sufficiant, longum esset referre singillatim. Potius custodum integras centurias, per nationes distinctas recensebo. Commune igitur laute ac splendide vitam agentibus centum, ut vocant, Dragones, Germanicæ ut plurimum gentis; Kosakos centum, è Volochia fere accitos; centum denique pedites, quos Hoidukos vocamus, Hungaros natione, continuo alere, & hanc ordinariam manum semper præsentem habere, vel securitatis, vel ornamenti causa. Quoties vero domo prodeunt, nempe ad co-

mitia, aut ad alias publicas functiones, triplo, immo quadruplo, majori utuntur comitatu. Vnde facile est facere conjecturam, quantis impensis tam frequens & tam numerosa aula egeat, quantum in stipendia, quantum in victum & amictum tot hominum erogandum sit; quantum denique constet sustentatio & pabulum equorum, qui magno prorsus numero, & sæpe ducenti, trecenti, & ultra aluntur. Ad alium splendorem gentis si transirem, si sumptus varios, ac immensos memorarem; si asotos illos nostros recenserem, facile appareret, non aliam gentem esse, magis proclivem *ad cuncta, quis pecunia prodigitur:* Magnificos enim apparatus conviviorum, exquisita cænarum ingenia, cibos aliarum nationum, & quidquid opiparum, quidquid eruditi luxus ab illis inventum est, passim & laute usurpamus, *appositas* (ut dixit ille) *dapes, non tam sapore, quam sumptu æstimantes.* Condimentis certe ciborum orbe novo petitis, tanta copia utimur, ut Hollandorum, qui soli ista vendunt, testimonio

Tac. 3. Annal.

Lat. Par. in Paneg.

monio sciam, plus eorum absumi in Polonia una, quam in reliqua Europa omni. Vestium vero sumptus quantus sit, testis Italia, quæ ingenti cumulo sericum nobis suppeditat. Et negotiationem hanc apud nos præcipue exercet, alioqui (ut antea dixi) cessatura ab opere, cui soli maxime incumbit. Auro certe ac gemmis, purpura ac bysso nitent ac splendent omnia; & aliarum gentium lautitia adeo longe à nobis est, ut parsimonia mera, sed ostentatione inani artificiose tecta videatur. Verum sufficiant ista, non in laudem certe, sed in assertionem splendoris, quem narratum exteris imminuere, fidemque ejus abrogare videtur Barclaius. Vltima vero ejus, quæ superest pravi in nos affectus aut judicii nota, jam sequitur ista:

> Sævire (inquit) quam decipere promptiores; & ipsi magis fraudibus, quam vi patent.

Iterumne sævitiam objicit & improperat?

rat? Iterum hoc probro Patria vindicanda? Non certe: Nam & ſatis hac de re dictum eſt, & non lubet cum Balatrone iſto ταυτολογεῖν. Agnoſco vero & amplector nos non eſſe deceptores: Libenter aliis ſagacibus & aſtutis populis hanc palmam concedimus; & fatemur, illos in omni vita verſutiori ingenio eſſe, quam ſit (ut cum Plauto dicam) rota figularis. Non tamen fraudibus eorum patemus, & prudentia munimur, quæ merito *in vitio ponit & omnibus credere & nulli.* Niſi forte à Scotis ſæpius nos falſa & adulterina merce deceptos didicit Barclaius. Tales certe homines, & in re vili

Plaut. Pſeud. *Qui cavet ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet.*

Alioqui non illa nobis ſimplicitas eſt, quæ incautos omnibus efficiat. Scimus fraudulenta ingenia dignoſcere, poſſumuſque non modo vitare eorum artes, ſed etiam

Vulpinari. cum illis ἀλωπεκίζειν. Cum autem à vi nos tutos eſſe dicit, cur non fortitudinem nobis

bis propriam commendat uberius? Meretur profecto hanc laudem armis invicta gens, & nullius unquam exteri ſubjecta imperio, nullius ſubacta potentia, & de qua olim Poëta cecinit:

Maxima pars hominum, nec te pulcherrima curat Ovid. de Ponto, Eleg. 3.
Roma, nec Auſonii militis arma timet.

Latus lætuſque eſſet campus, evagari per hiſtoriarum amœna ſpatia, & exinde argumenta petere fortitudinis noſtræ. Facile eſſet fuſos fugatoſque parva manu hoſtium exercitus, caſtra capta, expugnatas urbes memorare; & comprobare, nos vere obicem ac vallum eſſe, vel (ut proprio elogio utar, quo nos honeſtavit Pontifex, poſt Chotinenſe cum Turcis bellum) *Antemurale orbis Chriſtiani.* Facile, inquam, hæc omnia narrarem, niſi ſatis eſſent hæc, quæ hactenus dicta ſunt. Cum etiam pæne pigeat, tantum operæ in exiguam hanc ſcripti laciniam impendiſſe. Vnica eſt excuſatio, quod, etſi levi occa-

ſione

ſione provocatus, non levia tamen, neque hactenus exteris nota, de origine, ſitu, indole, moribuſque gentis & patriæ noſtræ dixi.

FINIS.